


## Observationes Qvasdam Testamentarias

Tubingæ: Stanno Meziano, [1745?]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877647100>


Druck Freier  Zugang





*N. N. — 1 (23.)*





Handwritten text on the right edge of the page, including letters like 'B', 'C', 'H', 'L', 'M', 'R', and 'S'.

Ayer de rescripto legitimat.  
 Bastineller de nepote non conferente.  
 Birnbaum de utilitate Physic. in jurispr.  
 Brendel de quer. test. inoff.  
 Bruckner ad l. 20. C. de jure dot.  
 Chladenius de jure debit. circa elect.  
 --- debitor delicatus.  
 Cöller de annulis.  
 Dresig de usu Stigmatis.  
 Götke de aditione heredit.  
 Graps Obs. jurid.  
 Harpprecht de Serv. legali.  
 Helwig de Paganismo Triboniani  
 Hoffmann Obs. testam.  
 Hoffmann de origine Procurator.  
 Hombergk. de bon. poss.  
 --- de oblatione ad litem.  
 Jenichen de Prisco Favoleno.  
 --- de Callistrato.  
 Kestner de pediculis argenteis.  
 Kühl de cessione priv. fisci.  
 Künhold de repud. hered. moto conc.  
 Laseberg Obs. ad jus sui heredis.  
 Leyser de Act. divisionibus.  
 Lincen de voce quasi.  
 Lischke de orig. hyp. tacit.  
 Ludovici de ritu osculis explor.  
 Malblanc de Praeser. quinq. in reb. min.  
 Masius ü. d. Code Napoleon.  
 Mollenbeck de Genio Princ.  
 Ronrensee de Servis.

42. Stück

Saxe ad l. Mamiliam.  
 Schlichtkrull an auctoritates  
 constituere etc.  
 Schramm de Vigiliis Priscis.  
~~Schubert de Praenotioibus.~~  
 Schwöpe de acceptatione  
 Sluter Justinianus defensus.  
 Störn de Constitut. Princip.  
 Tenzel de Scto Macedon.  
 Wildvogel de genio Principis  
 Wunderlich de evict. in donat.  
 Zoll ad l. 30. D. de reg. jur.  
 --- auf subbl. Minster nicht auf.



*Testamentum.*

30.

OBSERVATIONES  
QVASDAM <sup>14</sup>  
TESTAMENTARIAS

SELEGIT

ATQUE

P R A E S I D E

GODOFREDO DANIEL  
HOFFMANN

IVRIS VTRIVSQUE LICENTIATO,  
ACADEMIAE PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO,

NEC NON

ILLVSTRIS COLLEGII ORDINARIO

DIE XXXI. AVGVSTI MDCCXLV.

H. L. Q. S.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES FRIDERICVS STOCCMAIER

STVTTG. I. V. C.

TUBINGÆ,  
STANNO MEZIANO.



IVLIVS PAVLLVS

IN

LEGE V. TESTAMENTA QVEM AD MODVM  
APERIANTVR INSPICIANTVR ET DESCRIBANTVR.

PVBLICE EXPEDIT  
SVPREMA HOMINVM IVDICIA  
EXITVM HABERE.



I.

**T**estamenta non solum *leges*, sed *judicia* quoque sunt & dicuntur.

MISCELLAS quasdam MEDITATIONES COMMENTATIONESQUE TESTAMENTARIAS, speciminis atque exercitii academici modo, exhibiturum, neque *stoica* illa, vocis testamenti, a *testatione mentis*, desumpta derivatio, ingeniosa magis, quam vera, sive SERVII SULPICHII, LEMONIA RUFII, ICTI, allusio (vid. A. GELLIUS in *Noctibus Atticis*, libro VI. cap. 12. & IACOBVS CVIACIVS in libro *observ. XI. cap. 37.*) a TRIBONIANO in *princ. Instit. de testamentis ordinandis* adoptata, neque adeo *vexata* illa, qua tamen hodieque *melior* haud prodiit, testamenti, *justa voluntatis nostrae*, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, *sententia* dicti DEFINITIO, ab HERENNIO MODESTINO, ultimo omnis fere Romanae Iurisprudentiae oraculo, in L. I. qui *testamenta facere possunt*, profecta, multum moratur. Quae enim post innumeros ferme alios, qui suam huc contulerunt symbolam, adhuc restabant dicenda, ea omnia erudito adparatu occuparunt TRIVMVIRI, ad veterum ICTORVM famam & gloriam grassantes, *consultissimus Bremensium Syndicus*, EVERARDVS OTTO, in *oratione de Servio Sulpicio*, *Ultrajecti habita*, multoque deinceps auctiore, inque *justi libri formam* redacta, *Tthesauri Iuris Romani*, Tomo V. fol. 1459. inserta, Illustris, qui *Francofurtum*, patriam suam, nunc ornat, HENRICVS CHRISTIANVS SENCKENBERG, in *Diss. de testamenti publici origine & solemnitatibus extrinsecis*, Got-

tingæ anno 1736. habita §. I. & IV. nec non celeberrimus ille Gottingensium Antecessor primarius, Illustris GEORGIUS CHRISTIANVS GEBAYER, in præfatione, frontem tractationis TREKELLIANÆ, de origine & progressu testamenti factionis præsertim apud Romanos, Lipsiæ, anno 1739. 4. editæ, supra modum ornante. quæ alibi etiam, nempe in exalciata illa *Diss. de Iustitia & Iure*, Gottingæ anno 1738. ventilata, §. II. pag. 3. & 4. quid de definitionum legalium auctoritate, neque temere rejicienda, neque vero etiam incaute (vid. illustris AVGVSTINVS a LEYSER in *spec. meditat. ad P. I. num. 1.*) admittenda, sentiat, libere & sine omni præjudicio professus, atque singulari *Programmate*, eodem anno edito *definitioni Tutela* dicato testatus est. Neque vero illud quoque pluribus nunc diducere animus, *testamenta* Romanis LEGES visa dictaque fuisse. Id quod tam *originis*, quam *sanctitatis* inviolabilitatisque intuitu verum est.

In iisdem namque primo condebantur *comitiis*, in quibus leges quoque ferebantur. Scilicet CALATIS. Ita namque Imp. IVSTINIANVS, qui nihil hic antiquitatis penitus ignorari voluit, in §. 1. *Instit. de test. ord.* Ita A. GELLIVS in libro XV. cap. 27. Ita DOMITIVS VLPIANVS in *fragm. tit. XX. §. 2.* apud ANT. SCHVLTINGIVM in *Iurisprud. antejustin.* p. 627. Ita Græcus ille *Instit. Imp. Paraphrastes THEOPHYLVS* in d. §. 1. ubi tamen, eorum, quæ olim in usu fuerunt, ignorantiam nullo cum periculo conjunctam esse putavit, fide non adeo ubique dignus. Ita denique omnes, qui horum loca pluribus illustrarunt, BARNABAS BRISONIVS, suo quoque infortunio celebris ICTUS, de *Form. Pop. Rom.* libro VII. pr. pag. m. 586. CHRISTIANVS THOMASIVS in tribus *diss. Haleæ*, anno 1705. editis, de *origine succ. testam. de primis ejus initiis apud Rom. deque sensu legis decemviralis testamentariae*, & ut plures haud addam, B. IO. GOTTLIEB HEINECCIUS in *Syntagm. Antiq. Rom.* libro II. tit. X. §. 2. nec non in *Diss. suis de testamenti factione jure Germ. arctissimis limitibus passim circumscripta*, & de *origine testamenti factionis & ritu testandi antiquo*, Haleæ anno 1734. & 1736. editis, inque ejus *Sylloge opusc. var. num. 26. & 27. pag. 920. & 970.* reperiendis, Cum vero

verò tam *curiata*, quam *centuriata* Romanorum comitia, imò etiam tributa fuerint *calata*, hoc est convocata, admodum dissentiunt, in quibusnam comitiis calatis testamenta condita fuerint. *Tributa*, in quibus non populus, sed plebs modo convocabatur, quæque demum CORIOLANI occasione orta fuerunt, huc plane non pertinent. Pro *curiatis* disputant ARN. VINNIVS ad §. I. *Inst. de test. ord.* atque EHREGOTT FRIDERICVS BERGMANN, in *diss. de numero testium in testam. septenario*, Lipsia, anno 1731. Præsede Cel. F. A. HOMMELIO, edita §. XIII. Pro *centuriatis* pugnat ALB. DIETERICVS TREKELL, *cit. loco*, cap. II §. 16. Pro *utrisque* contendit VLRICVS HVBERVS in *Digress. Justin. libro IV. cap. 30. pag. 415*. Cui eo minus adstipulari dubito, quo certius in *utrisque* etiam *leges latae* fuerunt. Id quod, quem ad modum de *centuriatis* certissimum est, ita de *curiatis* facile colligitur, e L. II. §. 2. de O. I. DIONYSIO Halicarnasseo, libro IV. pag. 275. M. T. CICERONE in ep. ad ATTICVM libri XIV. 1. libri XI. ep. 12. C. SVETONIO TRANQUILLO in Aug. cap. LXV. num. 4. Erant nempe Romanis *leges centuriata & curiata*. Neque tantum ad SERVII TVLLII usque tempora, uti B. HEINECCIO visum in *Hist. Juris L. I. cap. I. §. 7*. Vide post NICOLAVM GRVCHVM, aliosque, SAM. PITISCVM in *Lex. Antiq. Rom. h. voc. Tomo I. fol. 525*. Eisdem quoque ritibus formulisque absoluebatur *testamenti factio*, quibus alias constabat *legislatio*, rogatione scilicet, causæ cognitione & suffragiis. Unde testamenta *leges sive privilegia* (quid enim vi vocis & rei quoque ipsius privilegia aliud? quam privæ, hoc est in singulos atque privatos *latae* *leges*. Vid. A. GELLIVS, libro X. cap. 20. M. T. CICERO in *paradox. IV. in orat. pro domo sua*, cap. 17. pro SEXTIO, cap. 30. nec non in *Libro de LL. III. cap. 19*. S. POMP. FESTVS *h. voce*. ISIDORVS in *orig. L. V. cap. 18*. Conf. ill. BOEHMERI *diss. de finibus privil. regundis*, cap. I. IO. GOTTFR. SCHAVMBVRGII *diss. de natura privil. nec non IO. GOTTL. SIEGELII diss. de genuino priv. conceptu.*) & heredes illi, heredes potius *legitimi* erant, quam *testamentarii*. Populi magis quam *testatoris* arbitrio constituti. Inde vero etiam tantus testamentis constitit honos, ut quemadmodum in *publicis actis nihil lege gra-*

vius, ita in privatis testamento, iudice M. TVLLIO CICERONE in *Philippica II. cap. XLII. firmiter nihil unquam fuerit Romanis, nihilque sanctius. Id quod tam Legitatores, quam Jure Consulti, permultis, de validitate testamentorum, ab aliis jam collectis, sententiis satis superque testati sunt. Conferri vero huc omnino merentur, CHRISTIANVS THOMASIVS, in diff. de primis initiis successionis testamentaria apud Romanos, §. 9. 10. 11. 12. & B. IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS, in Syntagmate Antiquit. Romanar. Libro II. Tit. X. §. 2. atque in Diss. de testamentifactione juris Germ. §. 11. & de Origine testamenti factionis & prisco testandi Ritu, §. XIII. in Sylloge opusculorum, num. XXVII. pag. 923. & 981. Quibus nunc quoque iungendus est Excellentissimus Dn. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS HARPPRECHT, Antecessor in hac academia longe celeberrimus, Fautor meus atque Præceptor venerandus in lance satura rerum ad testamentarias leges adtinentium, superiori demum anno ventilata, pag. 19. Legis autem adpellatione, qua testamentum passim ornatur, velut a PRISCO in Excerptis de legationibus pag. 62. (νεμων) IO. CHRYSOSTOMO ad acta Apost. Homil. I. pag. 615. (νομοθετειν) VLPIANO in fragm. tit. XXIV. §. 1. apud SCHVLTING. pag. 649. & IVSTINIANO ipso in Nov. XXII. cap. 2. quaque etiam, Practici utuntur in causis, ubi testamentum quoddam conservandum, exemplo B. GABR. SCHWEDERI in Conf. C. num. 94. 95. in Vol. Confil. illustris FACULTATIS IVRIDICAE TVBINGENSIS VI. fol. 706. adhuc frequentius est elogium, eidem quoque tribui solitum, IVDICII nempe & quidem SVPREMI. Quam cum alii hucusque neglexerint, paucis nunc considerabo illustraboque.*

Occurrit vero illa, tum apud Jureconsultos atque Imperatores, in Legibus nostris, tum vero etiam apud reliquos auctores, classicos, in scriptis suis. Sic, ut non omnia quidem, sed potiora tamen hujus nominis exempla adferam, TRIBONIANVS in §. XIII. Inst. de testamentis ordin. scribit, *veluti si quis navigaturus & secum ferre, & domi relinquere IVDICIORVM suorum contestationem velit. Idem etiam FLORENTINVS in L. XXIV. qui testam. facere possunt, sequentibus verbis statuit. Unum testamentum pluribus exemplis consignare quis potest,*

potest, idque interdum necessarium est: forte si navigaturus, & secum ferre, & relinquere IUDICIORVM suorum testationem velit. IDEM in fine L. XXIV. de testamento militis: & per hoc IUDICIA vera subvertuntur. PAPI-  
 NIANVS, in L. LXX. de heredibus instituendis; Captatorias Insti-  
 tutiones non eas Senatus improbat, quæ mutuis affectionibus IUDICIA  
 provocaverunt, sed quarum conditio confertur ad secretum aliene volunta-  
 tis, & VLPPIANVS in L. I. §. 3. si a parente quis manumissus sit; si  
 parens vel accepit pecuniam, ut emanciparet, vel postea vivus in eum fi-  
 lius, quantum satis est contulit, ne IUDICIA ejus inquietet, exceptione  
 doli repellatur, adde EIVSDEM L. XXII. §. 1. de adoptionibus & L. unic. pr.  
 de bon. poss. ex testam. militis. PAVLLVS, in L. V. Testamenta quem-  
 admodum aperiuntur, publice expedit suprema hominum IUDICIA exitum  
 habere, adde EIVSDEM L. XXXII. de in officioso testamento. CLAV-  
 DIVS, in L. XXXVI. de Legatis & fideicommissis III. quia crederetur  
 quasi furiosus testamentum facere non potuisse: ideoque nec aliud quid  
 pertinens, ad SUPREMA ejus IUDICIA valet. Quæ supremorum iudiciorum  
 adpellatio Jure consultis adeo solemnis fuit & quotidiana, ut, toties ju-  
 dicia subintellexisse censeantur, quoties, exemplo PAVLLI in L.  
 XXV. §. 1. de Liberis & Posthumis heredibus instituendis & L. XXXVI.  
 §. 2. de testamento militis, nec non PAPINIANI in L. LXXVI. §. 26.  
 de Legatis II. de supremis ordinandis simpliciter locuti fuerunt, scil.  
 iudiciis, sive testamentis, quæ proprie ordinari dicebantur, teste  
 rubro Inst. Lib. II. tit. X. de testamentis ordinandis & Codicis Lib. VI.  
 tit. XXIII. de testamentis & quemadmodum testam. ordinentur nec non  
 §. III. Inst. de Codicillis Neque rarius iudiciorum elogio testamenta signa-  
 runt Imperatores. Et quidem vel iudiciorum simpliciter, sicut in L. VI.  
 Cod. qui testamenta facere possunt, ubi CONSTANTINVS. A. si quis  
 Imperatorem forte heredem instituerit, habeat mutandi IUDICII volunta-  
 tem in L. I. C. de Codicillis, & L. XVI. C. familia erciscunda, L. XV.  
 XIX C. de testamentis, vel iudiciorum supremorum, ut in L. V. C. de  
 testamento militis, & L. I. C. de Collationibus, vel iudiciorum postremo-  
 rum, exemplo DIOCLETIANI & MAXIM. A. A. in L. IV. C. qui  
 testamenta facere possunt & in L. XIV. C. de donat. inter virum & uxorem.  
 AVCTORVM, quos vocant, classicorum, eorundemque probatissimorum,  
 loca

loca non cumulabo. Adeat, cui volupe, IVSTINVM, *Libro V.*  
 cap. II. §. 2. C. SVETONIVM TRANQVILLVM in AVGVSTO  
 cap. LXVI. §. 8. L. ANNÆVM SENECAM in *Libri de Beneficiis*  
*L. cap. 15. & Lib. IV. c. 11.* VALERIVM MAXIMVM. *Libro VII.*  
 c. VII. §. 4. nec non QVINTILIANVM, in *Institut. Orator. Libro VI.*  
 Cap. 3. Nihil itaque superest, quam ut rationem hujus adpellatio-  
 nis paucis reddam. Ubi tamen magis ad vocem *Judicii*, quam il-  
 lius additamentum *supremi* respiciendum erit. Hoc enim vel idem  
 denotat, quod *ultimum* atque *postremum*, vel a *stylo*, quo illæ inte-  
 riores ceræ sive tabulæ exarabantur, pariter *supremo* dicta, profici-  
 sciuntur. Vide AMMIANVM MARCELLINVM *Libro XXV.*  
 cap. 11. & conf. CLAVDIVM SALMASIVM *de subscrib. & signan-*  
*dis test. cap. X. p. 118.* nec non IVLIVM PAVLVM in *libro re-*  
*cept. sent. V. tit. 25. §. 6.* apud SCHVLTINGIVM, p. 517. *Judicia*  
*autem Romani appellabant voluntates ultimas, non eo sensu, quo*  
*judicium pro mentis animique facultate sumitur, sive discretionem, uti*  
*sumitur in §. 1. Inst. quibus non est permissum facere testament.*  
*in L. XII. §. 2. de Judic. L. XLI. §. 6. de fideic. liberta-*  
*tibus, & L. XX. C. de nuptiis, ac si ibi maxime iudicio opus esse*  
*innuere voluerint, ubi is deligendus, qui testatoris in locum suffi-*  
*ciendus, omnibusque heredibus legitimis præferendus: sed eo sen-*  
*su, quo pari alias passu cum sententia ambulat iudicium. L. LXXXIII.*  
*§. 1. de V. O. L. 1. de his qui not. inf. L. XVI. D. L. un. C. de confessis.* *Sent-*  
*entiam generis loco in definitione Testamenti adhibuit MODESTI-*  
 NVS. Et id quidem recte. Sententiam enim fert, sive pronunciat  
 testator, quis eorum heres suus esse debeat, qui vel proximo cum  
 ipso juncti vinculo, vel quos ipse vivus maxime dilexit. Imo con-  
 cinnior testamentorumque indoli convenientior videtur conceptus  
*Sententia* atque *judicii*, quam *legis*. Si præsertim a prima testamen-  
 torum origine comitali discesseris. Licet in comitiis quoque *judicia*  
 fuerint celebrata. Non enim nisi inter partes, sententiæ exemplo,  
 jus facit Testamentum, tertioque neque prodest, neque obest.  
 Prius vero in *rem judicatam* non transit isthæc testatoris *sententia*,  
 quam *morte* sive *fato* ejus, dieque *fatali* (vid. MACROBIVS in *so-*  
mnio

*mnio Scipionis L. I. cap. 13. L. I. C. si reus vel accusator mortuus fuerit, & L. IV. C. 51. pendente appell. mors intervenerit, nec non h. voce BRISSONIVS) illius confirmatum fuit testamentum, id quod, uti juris notissimi, ita quoque PAVLI, non Jure consulti, sed Apostoli, testimonio ulterius confirmatur, in Epistola ad Gal. cap. III. v. 15. atque ad Hebr. cap. IX. v. 16. 17. Conf. omnino IO. SAMVELIS, SAM. F. STRYKII, Diff. Hale, anno 1695. ed. de Jurisprudencia Pauli Apostoli, Cap. II. §. 5. pag. 25.*

## II.

Testamenta *publica*, Principi, Judicive ob-  
lata, perperam vel *solemnia*, vel *minus sole-*  
*mnia*, dicuntur.

EVNDEM cum ipsis *definitionibus*, DIVISIONES quoque in Jurispru-  
dencia nostra præstant usum, jam antiquissimis IVRECONSULTIS ideo  
quoque commendatissimæ. Confer egregiam Celeberrimi EVER-  
ARDI OTTONIS *pref. commentario ad Institutiones*, cura Excellentis-  
simi, meique Patroni atque Præceptoris honoris causa iterum nomi-  
nandi CHRISTOPHORI FRIDERICI HARPPRECHTI,  
magno studiosæ juventutis commodo, superiori demum anno  
hic loci iterum edito, præmissam. Testamenta aliter *Roma-*  
*ni* distinxerunt, aliter *nos* hodie distinguimus. Transeant anti-  
quiores illæ testamentorum divisiones, sive potius species. Minime  
vero jam nunc sine *observatione* quadam transeat divisio illa longe  
notissima, *testamentorum*, in SOLEMNIA atque MINVS SOLEMNIA. Quæ  
nihilominus rectissima utilissimæque, licet totidem verbis in legibus  
nostris haud occurrat, modo rite explicetur. Quemadmodum enim il-  
la se se ad alteram, æque celebrem, *testamentorum* in PUBLICA atque  
PRIVATA distinctionem habeat, nondum conveniunt, qui leges inter-  
pretantur. Sunt, & fuerunt, qui *publica* manifesto errore dixerunt  
*minus solemnia*. Speciosior est illorum sententia, qui *solemnibus publi-*



ca accensent. Sunt vero etiam, qui ea *solemnibus* adhuc *solemniora*, hoc est, solemnia solemnitatibus superare credunt. Et horum quidem sententia in ipsa *L. XIX. C. de testamentis*, publicorum sede, fundata videtur; hoc enim illius est principium, *omnium testamentorum solemnitatem superare videtur*, quod Principi, vel iudici offertur. Verum enim vero non ita rationes meas subduco. Divisio testamentorum in *solemnia* & *minus solemnia* non nisi subdivisio *privatorum* est. Testamentorum alia, publica fide sustentur, alia privatorum. Hæc *solemnitatibus* opus habent, non illa. In his vel plures, vel pauciores Leges desiderant solemnitates. Hæc itaque saltem vel solemnia sunt, vel minus solemnia. Ratione *effectus*, publica, solemnia, & minus solemnia conveniunt, modo iusta sint, consequenter hæc differentia ratione *numeri solemnitatum* est consideranda. Notorie autem in publicis pauciores desiderantur solemnitates, quam in privatis, & frustra tamen, imo perperam minus solemnia illa dixeris, ita enim ea saltem recte dicuntur, in quibus a posteriori solemnitatum quædam remissæ sunt, hoc est *privilegiata*. In publicis autem solemnitates a priori necessariæ haud sunt, licet quoque tam in allegata *L. XIX.* quam in *L. XXVII. C. eodem*, acta iudicis, & testes idonei comparentur, hoc enim *effectus*, non *solemnitatis* intuitu factum, Iudicis enim acta non tam *solemnitatem*, quam *fidem* potius testamentis conciliant. Vid. *Cel. FR. C. CONR. diss. de test. apud acta, §. V.* Conferri meretur GVILIELMVS LVDWELL, in *er. de ultimis Volunt. cap. I. pag. 178.* Licet una cum SAM. STRYKIO in *diss. de test. Principi vel iudici oblato*, in *Vol. diss. STRYKIANARVM*, edit. *nov. Ulm. V. disp. IX. n. 18. fol. 303.* publicum pro solemnibus habeat. Illa vero nimis abusive, & neutiquam termino tecnico *minus solemnia* dicuntur, quæ in necessaria quadam deficiunt solemnitate, *invalida* scilicet, si generatim loquimur, vel speciatim *injusta*. Sicuti namque testamentum solemnne & validum est *IUSTA* voluntatis nostræ sententia, ita minus solemnne & invalidum, sententia *INIUSTA*, non *jure facta*. *L. I. de injusto, rumpo, irrito facto test. vid. ARN. VINNIUS in qu. select. L. II. cap. 20. 21.* Non ratione æquitatis & iustitiæ intrinsecæ, sed potius ratione solemnitatum extrinsecarum. Quod

Quod enim HERENNIVS MODESTINVS in *L. I. qui testamenta facere possunt*, IVSTVM dixit, id DOMITIVS VLPIANVS in *tit. fragmentorum XX. §. 1.* apud ANT. SCHVLTING, in *Furisprudencia ante iustiniana*, pag. 627. adverbio SOLEMNITER declaravit. Aliud quoque est *testamentum minus solemne*, aliud *ultima quædam voluntas generatim*, minus solemnis. Testamenta minus solemnia sunt militum, parentum, rusticorum, parturientium, vid. LEYSER, in *spec. XIV. num. 5.* & MICH. BRVMMER (non CORN. van ECK, cui hæc diff. quæ nomen illius non nisi tanquam *Rektoris* tulit, perperam adscribitur) *diff. de test. partur. privil. Ultraj. anno 1695.* hab. peregrinantium, pestis tempore, & ad pias causas testantium, ultimæ vero voluntates minus solemnes sunt codicillus, epistola, vid. MELCH. DETHMARI GROLLMANNI *diff. de epistola hominis ultima*, Gisse 1707. hab. legatum, fideicommissum, mortis causa donatio, pactum dotale. Confer GVIL. HIER. BRVCKNERVM in *diff. de variis ultimarum voluntatum speciebus*, Jen. 1714. ed. Unde, quod generatim moneo, huic distinctioni parum fidendum, semperque ad materiam substratam respiciendum est. Licet forsan inde, præsumptio pro validitate test. *publicorum* fortior adhuc sit, quam reliquorum saltem, *privatorum*.

## III.

Argumenta, quibus Testamenta, neque Principi, neque Judici, per *procuratorem* offerri posse, asseritur, omni exceptione majora haud sunt.

In utramque partem, magno animorum motu disputari hodie solet, utrum testamentum Principi vel judici, per *procuratorem* offerre liceat: an vero potius, in utroque hoc testamento, personalis testatorum comparitio, atque coram iudice præsentia, abscessisse, atque sub ipsa nullitatis poena, necessaria sit? Priorem illam quæstionem, uno veluti ore, antiquiorum IVRECONSULTORVM omnes negarunt, hancque *posteriorem*, sine omni formidine oppositi, affir-

marunt, eoque processerunt fiducia, ut non solum *epistolam*, propria testatoris manu exaratam, verum etiam procuratorem, *speciatissimo* plane mandato instructum, exemplo CHRISTOPHORI BENSOLDI in *Conf. CCXXX. num. 10.* imo notarium *septem* testibus armatum, cum BENEDICTO CARPZOVIO in *Jprud. for. Parte III. const. III. def. 23. num. 10.* ab ista testamenti oblatione penitus excluderint, arcuerintque. Liceat igitur jam nunc, rationes eorum, argumentorumque pondera paucis recensere, nec non quibusdam observationibus dilucidare.

PRIMUM, quod procuratori hic objiciunt, argumentum, ex ipsis testamentariis Romanorum antiquitatibus, desumunt, atque ab ultima origine & ulteriori progressu testamenti factionis repetunt. Quod scilicet, neque in *comitiis calatis*, neque in *procinctu*, neque *per as & libram* procuratorem adhibere licuerit testatori. Id quod facile quidem concedo, de testamentis in *procinctu* conditis, quippe quæ nemo, nisi miles cinctus, præcinctus, procinctus, toga cingulo militari incinctus, expeditus, vid. S. POMPEIVS FESTVS, de *V. Signif.* apud DIONYSIVM GOTHOFREDVM in *Corpore auctororum lingua latina*, pag. 283. voce *endo procinctu*, & B. HEINECCIUS in *cit. syntagmate Libro II. tit. X. §. 3. & in cit. diff. §. 14. 15. pag. 982.* inque præsentissimo mortis periculo, verissimo consequenter privilegiorum circa testamenta militaria fundamento, jamjam constitutus, vid. PLVTARCHVS in *vita Coriolani*, ad annum *V. C. 261. pag. 217.* VELLEIVS PATERCVLVVS, *libro II. cap. 5.* ubi: *facientibusque omnibus in procinctu testamentis, velut ad certam mortem eundem foret*, A. GELLIVS *libro XV. cap. VI.* ubi: *alterum in procinctu, cum viri ad præliam faciendum in aciem vocabantur, conderè potuit.* Neque hic procuratori, vel ideo locus esse poterat, quia sola heredis coram duobus testibus, commilitibus, facta *nuncupatione*, tabulis exclusis, absolvebantur. M. TVLLIVS CICERO in *libro de oratore I. cap. 53.* scribit: *tanquam in procinctu testamentum faceret. sine libra atque tabulis.* Conf. CHRISTIANVS THOMASIVS in *all. diff. §. XXIV.* Neque idem de testamentis *per as & libram* factis negare vel-

vellem, propter communem, omnibus actibus legitimis, procuratores simpliciter respicientem, naturam indolemque L. LXXVII. & CXXIII. de R. F. confer ibidem JACOBI GOTHOFREDI Commentarium, pag. 513. quæque ad eundem notarunt, tum Illustris JUSTVS HENNINGIVS BOEHMER, in diff. de dominio litis, Cap. I. §. 17. 18. Juri ecclesiastico Protest. Libro II. tit. XXXVIII. §. 25. seq. inserta, Tomo I. pag. 915. & B. CHRISTIANVS GOTHOFREDVS HOFFMANN, in diff. de origine & conditione Procuratorum, c. II. §. 3. Illa enim testamenta continebant mancipationem, ipso VLPIANO in tit. XX. §. 9. apud SCHVLTINGIVM, pag. 629. teste, vid. cum CL. BERGMANN in diff. de numero testium in testamentis septenario, Lipsia, anno 1731. Præside Cæl. F. AVG. HOMMELIO habita, §. XIV. tum vero etiam ALBERTVS DIETERICVS TREKELL, cit. tr. cap. III §. 8. quæ in allegata L. LXXVII. inter actus legitimos diserte refertur. Confer omnino IO. CHR. SCHRÖETERI Progr. Jenæ anno 1720. ed quo sensu testamentum per as & libram inter actus legitimos referatur. An vero non licuerit civi Romano in comitiis calatis testaturo, & quo minus ipse inibi compareat, impedito, Populum Romanum, per alium quendam, itidem civem Romanum comitiorumque participem, veluti procuratorem suum, rogare? quæstio mihi videretur nondum satis expedita, nisi ægre admodum, atque demum fictionum ope Procuratores a ROMANIS admissos fuisse, laudati docuerint BOEHMERVS atque HOFFMANNVS. Ea vero nihilominus atque adeo minore istius argumenti propositione penitus concessa, alia nihilominus superest elabendi rima. Alterum enim dicti argumenti membrum in eo consistit, quod testamenta hæcce publica, tam principi, quam judici oblata, in eorum locum successerint, quæ in comitiis quondam condebantur calatis, populi Romani potestate legibus illis regiis in Principem transcripta. Ita scilicet sentiunt HERM. VVLTEIVS, VIGLIVS ZVICHEMIVS & ARNOLDVS VINNIVS, omnes ad princ. & §. 1. Instit. de testam. ordin. sed jam responderunt, omnemque istum nexum, inter testamenta comitialia XII. Tab. abolita atque publica, demum post CONSTANTINI M. tempora, vide L. II. C. de Magistr. muni-

*cip. & L. XVIII. XIX. C. de testam. introducta, rationibus chronologicis negarunt, HEINECCIUS, in diss. de Orig. testamentifactionis, §. XXI. sive in sylloge opusculorum, pag. 991. atque celeberrimus ille Helmstadiensium antecessor, FRANCISCUS CAROLUS CONRADI in dissert. de testamento publico, quod fit apud acta, an. 1741. edita, §. I. Ut consequenter eandem præter rem denuo adoptaverit CI. IO. CHRISTOPHORUS BALSER in libello singulari de forma testamenti judicialis externa, Gissa, hoc demum anno edita, cap. I. §. III. pag. 2.*

SECUNDO ad ipsam illam legem, in hoc argumento cardinalem XIX. Cod. de testamentis tanquam ad sacram anchoram confugiunt, qui procuratorem hic eliminare student. Et sane, vel hæc illis admodum favere videntur verba: *qui actis mentis suæ postremum publicavit judicium: iterumque etenim voluntates hominum audire volumus.* Inde necessitatem præsentia testatoris arguunt. Liceat vero heic regerere, etiam per procuratorem aliquem mentis suæ postremum publicare posse judicium, non enim suam, sed testatoris mentem publicaret procurator, & testamentum judiciale per procuratorem oblatum tamen esset *publicatio mentis suæ, sive testatoris* coram actis facta, statim enim generatim iterum loquuntur Impp. verbis *successorem suum oblati precibus declarare.* Deinde etiam voluntates hominum nihilominus *audire* possunt imperatores, licet per *procuratorem* offerantur.

TERTIO consequentiam contra procuratores inde quoque deducunt, quod nemini *coram testibus* per procuratorem testari liceat. Verum enim vero negari heic posset consequentia, ideo præsertim, quia testamento per procuratorem oblato ultima testatoris voluntas nihilominus haud confertur in alienum arbitrium, unde non obstant, quas hic obmoveri videas, Leges XXXII. pr. de hered. instit. & LII. de condit. & demonstr.

Ejusdem commatis QUARTVM est, quod *acta* in ejusmodi testamento suppleant vicem *testium*, qui ut testatorem videant audiantque, necesse est. L. IX. C. de testamentis. Vide JEREM. EBERH. LYNCKII Diss. Argent. de testatore cortinato sive velato. Ast testes solen-

lennitatis, acta vero judicialia *fidei publicæ* causa testamentis accedunt, ipso B. LAVTERBACHIO in *diff. de Testam. judiciali, th. IV.* atque Cel. SENCKENBERG in *all. diff. de origine testamenti publici, cap. IV. §. 5.* fatentibus, hæc vero sibi invicem opponuntur. Ultimo etiam suspicionem fraudis, metumque *mutata* ultimæ voluntatis obmovent, sed hoc argumentum nimis probaret contra procuratores, quippe qui *mandatum speciale*, de quo, potissimum tamen *judiciali & processuali*, singulari *diff.* egit MICH. HENRICVS GRIBNER in *opusc. Tomo V. sect. 7. pag. 162.* imo *speci- alissimum* exhibere, omnique fraudis suspicionem majores esse debent. Sub quibus demum limitationibus procuratorem admittit Illustris AVGVSTINVS a LEYSER, in *spec. meditationum ad Pand. CCCLIV. n. 4. Volum. V. pag. 609.* Quæ, cum ita sese habeant, facile patet, argumenta communis hujus, atque adeo hoc quoque nomine, *arg. L. I. pr. de officio questoris, & L. XII. §. 27. de instructo & instrumento legato,* haud spernendæ sententiæ nondum omni dubio exempta omnique exceptione majora, verissimumque esse, quod ANDREAS GERHARDVS in *disp. de testam. II. sub finem th. 14.* scripsit: *sententiam illam, nisi ab omnibus fere, & communi quidem praxi, juris non scripti vim subinde obtinente, recepta esset, optimis rationibus infringi, contrariaque defendi posset.* Vnde etiam haud mirum, quod non solum multi contrariam hodie foveant opinionem, verum etiam, quod suis haud destituantur rationibus. Veluti, quod regulariter in omnibus etiam *arduis* atque *majoribus* causis procuratores admittantur, atque ab his gesta perinde valeant, *L. III. §. 12. de donat. inter Virum & uxorem L. V. §. 3. de administr. & periculo tutorum, Cap. LXXII. de R. I. in 6.* atque ab ipsis peracta fuissent principalibus. In hisce namque causis arduis & majoribus nihil aliud nisi *mandatum speciale* requiritur, quod etiam hic necessarium, licet in illis nemo cogi possit ad constituendum procuratorem. Conf. *laud. GRIBNERI diff. at. que illustris IVSTI HENNINGII BOEHMERI diff. de causis arduis & majoribus, Hala, jam anno 1715. editam, cap. II. §. 16. & 20. & cap. IV. §. 3.* Quod imperatores nihil nisi *preces* atque *supplicationem* desiderent, inque *precibus* minime requirendum sit, per quem fuerint oblata, eisdem

eisdem Imp. HONORIO & THEODOSIO A. A. rescribentibus in L. VI. C. de precibus imperatori offerendis. Quod ictos in testamentis nihil ultra id quod lege expressum desiderare deceat, quod praesentia testatoris, tanquam solemnitas in testamentis privatis necessaria, ab eo superetur, quod mera fide precibus actisque insertum, quod ipsis Imperatoribus sufficere visa fuerit certitudo voluntatis testatoris, mandato speciali aequae obtinenda, unde Imp. diserte declaraverint: nec pertimescat heres institutus, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare, duobus scilicet factum oblationis testantibus, in omni plane etiam privato solemnissimo testamento, si de solemnitate eius ordinatione, quoad factum, adhuc dubitetur, necessariis, vid. BERGERVS in *Oeconomia juris*, pag. 347. & LEYSERVS in *spec. CCCLV. num. 4.* quod ipsa etiam Principis iudicis praesentia sit necessaria, quod donatio inter vivos, quingentos solidos excedens per procuratorem offerri valeat, concedente BENEDICTO CARPZOVIO in *Libro Resp. V. resp. 86.* quod ex formulis MARCVLPHI adpareat, publicationem testamenti quondam a procuratore factam fuisse, (sed docuit Cel. CONRADI in *all. Diff. §. 18. sq.* ibi non de insinuatione, sed de publicatione illa testamenti post mortem sermonem esse) aliaque, sed minoris momenti ponderisque argumenta, quibus itidem haud pauca obverti possunt. Ante signanus ita sentientium sine dubio est SAMVEL STRYKIVS, in *Diff. de testamento Principi vel iudici per procuratorem oblato*, jam anno 1684. Francof. publice ventilata, postea vero *tr. de cautelis testamentorum Cap. VIII. p. 338.* nuncque collectioni dissertationum Ulmensi, Tomo IV. n. IX. inserta. Qui OTTONEM TABOREM potissimum secutus, de *test. principi aut comiti oblato*, cap. V. th. 10. Quo cum inter modernos etiam sentiant, illustris BOEHMERVS, in *Tomo II. parte I. resp. 643.* & in *consult. & decis. ad ord. Pand. dec. 42.* atque IO. CHRISTOPHORVS BALSER *cit. loco*, cap. III. §. 75. pag. 76. Quam sententiam amplexus fuerit IO. FLORENS RIVINVS in sua, de *test. per proc. oblato*, Lips. anno 1735. edita *diff.* cum eandem non inspexerim, nescio. Communem vero pluribus propugnarunt GOTTOFREDVS BARTHIVS, in *Diff. de testamento comiti oblato*, Lipsia 1689. ventil. c. IV. nec non WOLFFG. ALBERT. SPIS,

SPIS, in *Diff. de testamento per procuratorem non offerendo*, Altorffii 1742. habita. Quos tamen omnes facile superat B. Dn. Dr. FERD. CHRISTOPH. HARPPRECHT, in *Conf. LIV. Vol. Conf. Tub. IV. fol. 1003.* Unde hinc non amplius immoraturus, hoc unicum addo, in omnibus *Jure nostro civili WÜRTEMBERGICO* statutis testandi *formis*, testatoris praesentiam esse perquam necessariam. Vide *Part. III. Tit. 3. rubro Die erste Form, §. Ersilich, fol. 331.* ubi: Ersilich mag ein Mann oder Weibs-Persohn vor Gericht erscheinen, und daselbst mit verständlichen Worten ihr Gemüth und letzten Willen eröffnen, & rubro die ander Form, §. Wann aber, fol. 333. ubi: für ein gefessen Gericht bringen, rubro die dritte Form, §. da aber, fol. 334. ubi: zu sich beruffen, und vor denselbigem ic. rubro, die vierte Form, fol. 336. & denique, rubro, die fünffte Form §. nachdem es auch, fol. 337. ubi, daß eine jede testirende Persohn vor Gericht erscheinen ic. Accedit quoque necessitas interrogationis de libertate ultimæ voluntatis, ejusdemque post nuncupationem, ab alio in scripturam redactæ, prælectionis, omnibus testamentis *Wurt. communis*, procuratores penitus excludens, vi allegati rubri, die erste Form, §. welches dann, und darbey aber fol. 331. & 332. Conf. IO. IAC. PLEBST in *disp. III. th. 38. W. A. LAVTERBACH* in *disp. de testam. Judic. th. 9. 10. 14. B. Dn. Dr. HARPPRECHT* *ibidem th. 11.* B. B. BARDILLI, in *diff. de testamento Nunc. th. 8.* & Consultissimus Dn. *adnotationum ad Jus Prov. W. Auctor, p. 152.*

Alia prorsus *questio* est, cum hac, de testamento judiciali per procuratorem oblato, minime confundenda, ane judici judicioque, cui testamentum aliquod offerendum, unum saltem vel plures quoque assessores atque scabinos, cum vel sine actuario, ad præviam testatoris rogationem, per quemcunque faciendam, totius collegii nomine mittere atque delegare liceat, hique deinceps, speciem quandam *judicii representativi* præ se ferentes, testamentum illud, a testatore ipso, eo effectu suscipere valeant, ut *judiciale* illud fiat, atque sine testibus subsistat? quam de *jure communi ROMANO*, in quo mos ille, domi, *extra locum judicii* testandi, neque in *L. XIX. Cod. de testamentis*, neque in *L. VII. de manumissis vindicta* expressus,



fus, sola forte *L. XXII. de testibus* sustinetur, vid. *cit. Cel. CONRADI diff. §. XX.* per ea, quæ *B. HARPPRECHTVS* tradidit, in *diff. de testam. judic. §. VI. VII.* atque *ressponso Helmstadiensi* firmavit *cel. LEYSERVS* in *spec. CCCLIV. num. 3. adfirmandam*, de *jure vero civili WURTEMBERGICO*, vide *Part. III. tit. III. rubr. III. fol. 334.* aliisque permultis juribus particularibus, a laud. *HARPPRECHTO*, *SENCKENBERGIO* in *diff. de origine test. publ. cap. IV. §. 6.* nec non illustri atque *cel. IO. AD. KOPPIO* in *spec. I. Germ. de test. Germ. judicialibus & sub dio conditis*, vulgo *ungehabt und ungestabt*, *Fr. anno 1736. ed. §. XII.* recensitis, *negandam esse* censeo. Nisi quod videri posset, inter nos quatuor istos assessores cum actuario tunc saltem necessarios esse, cum a *testatore* requiruntur, non vero a *Judice* ipso mittuntur. Verum, idem hic modus, coram deputatione judiciali, veluti *judicio quodam representativo*, testandi, etiam in *jure Germanico antiquiore* parum præsidii invenire, post *KOPPIVM* docuit *Cl. BALSER*, *all. I. cap. III. §. 73. sq.*

## IV.

*Pacta dotalia*, conjugumque *successoria*, quamvis per modum *ultima voluntatis* condita fuerint, tamen *judici per procuratorem* offerri possunt.

Idem, quod de *testamento*, tanquam prima illa, præcipuaque, & maxime *solemni* ultimarum voluntatum specie, paullo ante ostendi; nempe *procuratorem* istud *judici* offerre haud posse: de reliquis ultimarum voluntatum speciebus minus *solemnibus* omnibus, *codicillo*, *epistola*, *legato*, *fideicommissio*, nec non *mortis causa* *donatione*, pariter pronunciant *recti*, quorum magna in foris auctoritas. Quid vero nunc de *pactis dotalibus* censendum? Quæ, cum *mixta* esse, atque adeo etiam per modum *ultima voluntatis* condi valeant, hujus speciebus recte accensentur. Anne igitur hæc quoque, si quidem *judicialia* esse debeant, per *alium*, *procuratorem* nempe atque  
sub

substitutum, judici offerri haud poterunt? Ita scilicet videri omnino posset argumento & analogia *mortis causa* donationis, quæ & ipsa negotium *mixtum*, fluctuans inter contractus inter vivos, ultimasque voluntates. Donationem inter vivos, summam D. solidorum excedentem, atque adeo actis insinuandam & iudicis auctoritate confirmandam, per *procuratorem* eidem offerri, actisque insinuari posse, nemo dubitat. *Nov. CXXVII. cap. II.* vid. IO. VOLCKM. BECHMANN in *diff. de spec. jure donat. D. solidos excedentis cap. IV. pag. 17.* & conf. B. IO. GVIL. de GOEBEL de *donat. insinuandis*. Quamprimum vero donatio quædam, *mortis causa* fit, atque ad ultimas voluntates propius deinceps accedit, ab ejus insinuatione procuratorem statim & omnino excludunt, DANIEL MOLLER in *Libro semestrium I. cap. V. n. 12. pag. 19.* BENEDICTVS CARPZOV, in *Jurispr. For. Parte III. Const. I. def. 36.* FERDINANDVS CHRISTOPHORVS HARPPRECHT, in *Conf. LIV. n. 187.* WOLFGANGVS ADAMVS LAVTERBACH, in *diff. de mortis causa donationibus, §. 7. & 10. & de nuncio, cap. VII. th. 33.* nec non maternus proavus meus B. IO. ANDREAS FROMMANN, in *diff. donationum simplicium & mortis causa th. XII.* Quod argumentum, a mortis causa donatione, Jure Romano, §. I. *Inst. de donat. L II. & L. f. C. de don. c. m.* imo jam *L. XXXV. §. 6. de m. c. donat.* legis penitus exæquata, ad pacta dotalia transfertur, eo majoris ponderis videtur, quo communior ICTORVM opinio est, mixta illa pacta dotalia in vim ultimæ voluntatis concepta, ex jure Romano, ejusdemque doctrina de m. c. donatione, tanquam negotio similiter *mixto*, penitus æstimanda esse, pluribus, aliis quoque exemplis ostensa ab Illustri IVSTO HENNINGIO BOEHMERO, in *Diff. de successione hereditaria conjugum ex pactis dotalibus, cap. II. §. 4.* Verum enim vero neque unanimis est, illa practitorum de mortis causa donatione, per *procuratorem* non offerenda, opinio, penitus namque dissentit MATTHIAS BERLICH, in *Parte III. Concl. II. n. 41.* neque illis hodie amplius ad palatum ea esse solet, qui jurisprudentiam nostram, e legibus peregrinis moribusque domesticis adeo mixtam, sollicita fontium distinctione, paullo certiore reddere conantur, hincque etiam *pacta dotalia,*

*ralia*, quatenus præsertim *successoria* insimul sunt, eademque *adquisiti-  
 va*, non e jure Romano, quibusvis pactis successoriis adeo inimico,  
*L. XIX. & L. XXX. C. de pactis*, sed antiquo pariter atque medio jure  
 Germanico, unice æstimare, atque dimeri solent. Admodum nam-  
 que diversam horum jurium, Romani atque Germanici, circa pacta  
*dotalia* sententiam, hujusque in praxi prærogativam, præter lau-  
 datum jam BOEHMERVM, in *cit. Diss.* erudite solideque docuit  
 IOACH. GOTTHILFF SPARMANN, in *Diss. de prærogativa Juris  
 Germanici, præ Romano, in materia pactorum dotalium*, Gryphisv. anno  
 1742. junctim editis. Illam ipsam quoque distinctionem pactorum do-  
*talium in simplicia atque mixta* omni plane juris Romani atque Germa-  
 nici fundamento carere, nuper admodum probare voluit PH. IAC.  
 GRAV, in *spec. jurid. de mixtura incongrua F. R. & G. in dist. pactorum  
 dotalium in simpl. & mixta*, Marb. anno 1744. edito. Quid quod ipsi  
 quoque antiquiores icti, ante hodiernam juris Germanici cultu-  
 ram, eandem, insignem sane differentiam agnoverunt, omnemque  
*nexum mortis causa donationis*, cum pactis hisce *successoriis* negarunt.  
 Et, licet hæc, per modum ultimæ voluntatis, contra naturam pa-  
 ctorum, condi posse docuerint, hincque quinque testium præsen-  
 tiam desideraverint, non omnes tamen ultimarum voluntatum so-  
 lennitates, veluti præsentiam ipsorum paciscentium in ea, quæ ju-  
 dici majoris fidei & securitatis causa fieri solet, insinuatione, *te-  
 stium solemnitatem hic quoque superante*, arg. *L. XIX. Cod. de testam.* re-  
 quisiverunt. Teste BENEDICTO CARPZOVIO, in *Parte II.  
 const. 43. def. 3. & 4.* ubi non solum docet, quod pacta dotalia judi-  
 cialiter insinuata valida sint, nullis licet adhibitis testibus, verum  
 etiam concedit, quod ea valeant *pacta dotalia*, quæ non ipsi paci-  
 scentes conjuges, sed eorum vel parentes, vel cognati, judici in-  
 sinuarunt, qui consequenter parentes atque cognati, in hoc oblatio-  
 nis actu nihil aliud erunt, quam paciscentium *procuratores*, qui,  
 cum in pactis *ante nuptialibus* admittantur, ab insinuatione pactorum  
 inter conjuges *successoriorum* repelli non nisi invita minerva poterunt,  
 judice Illustri LEYSERO, in *spec. CCCX. num. 9.* ubi nihil aliud,  
 quam certitudinem voluntatis paciscentium ad validitatem insinua-  
 tionis

tionis per *procuratorem*, requirit. Accedit, ipsam horum pactorum *irrevocabilitatem*, quam multi hodie ex Jure Germanico, mixturæ illius ignaro, adstruunt, quamque multi etiam veterum ICTORVM agnoverunt, ex *acceptatione* forte non adeo incongrue derivandam, quandam hujus, a. m. c. don. discriminis rationem præbere. Alia quæstio est, an alteruter paciscentium, veluti maritus, suo nomine in iudicio comparens, alterius quoque, absentis, conjugis, uxoris puta procurator, atque etiam, si speciali destitutus foret; *mandato*, extraneis perquam necessario, tanquam curator legitimus vel mandatarius certe præsumtus, admittatur, atque sufficiat? cujus ulteriorem discussionem conflictui reservare malo, quam hic decisionis aleam subire, *affirmativam* defensurus.

V.

Testamentum *reciprocum*, per procuratorem oblatum, clausula *salutari*, in vim pacti *dotalis* sustineri posse videtur.

Cum igitur, inter omnes ultimarum voluntatum species, non nisi pacta *dotalia* conjugumque *successoria*, rata sint, atque firma, si eas procurator obtulerit, insinuaveritque, hoc præcipuum habere videntur testamenta conjugum *reciproca*, quod tanquam pacta *dotalia*, eademque *judicialia*, procuratorem admittentia, ope atque beneficio *salutaris* illius testamentorum clausulæ, communis, si credere fas est, testamentorum *emplastri*, vel, si magis placeat, *herba betonica*, sustineri valeant. Sic, ut *exemplo* utar, si conjuges, liberis destituti, se invicem ex asse heredes scripserint, solus vero maritus iudicem adierit ipse, uxor autem tabulas suas per procuratorem actis insinuaverit, hincque intestata decessisse videatur, marito, spe sua legitime concepta destituito, aliter subveniri non poterit, nisi eos pacta magis *dotalia*, quam testamenta condidisse dicas. Non enim

hodie pacta dotalia tantum sunt *antenuptialia*, atque de dote unice disponunt. Licet potius conjugibus, quotidiana praxi teste, non solum ineunte, sed durante etiam, imo exeunte matrimonio pactis dotalibus futuram ordinare successionem. Quid enim hodie pacta dotalia aliud, quam conjugum *successoria*, quorum latissimus est ambitus, maximaque in conjugum successione auctoritas. Ita ut inde quoque SERENISSIMVS LEGISLATOR WVRTEMBERGICVS in *Jure Prov. Würtemb. P. III. tit. 8. §.* Es sollen auch, fol. 354. præceperit: Daß solche Ehe = Beredungen der Eh = Leuth Succession halben, nicht weniger dann ordentlich aufgerichtete Testamenten kräftig seyn sollen. Nullum porro dubium pacta dotalia non solum judicialia esse posse, verum etiam in judicio optime condi, nullisque deinceps opus esse testibus, nullaque etiam causæ cognitione, deficientibus, ut in nostro exemplo, liberis. Sed instabis procul dubio atque objicies: aliud esse *testamenta*, aliud vero condere *pacta dotalia*. Conjuges testantes non esse paciscentes, cumque modum ordinandæ successionis testamentarium elegerint, pactitiam successionem eo ipso repudiassent. Verum enim vero hic concedi mihi postulo, pacta dotalia, quibus de futura eademque mutua conjuges disponunt successione, atque vel coram testibus conduntur, vel actis inseruntur, haud postremam ultimarum voluntatum speciem esse. Non obstante illa, quam etiam ipsum nostrum *JUS CIVILE WVRTEMBERGICVM*, allegato loco, §. 1. fol. 353. sanxit, irrevocabilitate, ex ipso jure Germanico profuente. vid. *Illustr. BOEHMERI Diss. de successione conjugum ex pactis dotalibus, cap. II. §. 3. & 6.* Hæc enim vel ad ea pertinet, quæ simplicia, inter vivos, non mortis causa, vel pacta hæc dotalia æque non eximit de numero ultimarum voluntatum, ac quidem testamenta reciproca, quorum revocatio, haud parum itidem limitata. Quod si igitur pacta dotalia judicialia sunt species ultimarum voluntatum, & quidem omnium minime solemnium, eam quoque intellexisse consensus est testator, qui sub finem testamenti sui serio atque enixe testatus est: hanc ultimam voluntatem suam, quam latiori, omnesque alias ultimarum voluntatum species includente sensu, de quo vid. LEYSERVS, in

*spec.*

*spec. CCCLI. num. i.* testamentum, dixit, quovis meliori modo sustineri debere, licet non omnibus vel testamenti solemnibus, vel codicilli quoque numeris absoluta foret. Eodem enim jure, quo clausula hæc salutaris, testamentum, qua tale invalidum, tanquam codicillum conservare potest, eodem quoque testamentum inter conjuges reciprocum, per modum pactorum dotalium sustinere poterit. Licet illud neque testamenti, neque codicilli, neque mortis causa donationis jure valere possit. Modo *cætera*, quod pono, quæ ad pactorum dotalium validitatem necessaria, sint *paria*. Quamvis enim non cum illis sentiam, qui omnia plane testamentorum vitia, clausulam illam, veluti *panaceam* sanare posse credunt, hoc tamen contendo, quod clausula illa *codicillaris*, vel quæ pari cum illa passu ambulat, omni meliori modo, quodvis testamentum invalidum in eam ultimarum voluntatum speciem commutare valeat, cujus illud instructum est requisitis atque solemnitatibus, sive *codicillum*, sive *mortis causa donationem*, sive *pactum dotale*. Ut nihilominus ultima defuncti voluntas, naturali hoc suadente æquitate, eum sortiatur *exitum*, quem testando sibi proposuit testator. *L. XV. C. de test. & L. CLXXXIII. de R. J.* Eodem certe jure, imo majori longe, quo practici miros huic clausulæ effectus tribuunt, eadem id quoque efficere poterit, ad quod non *sanatione*, sed *mutatione* opus habet. Adeo enim mutat, quod negotiis inter vivos adjecta, ultimam nihilominus producat voluntatem. Recte, observante LEYSERO, in *spec. CCCLXXVIII. num. 3. & 4.* Nihil vero, ut falso sibi omnes persuadent, hæc clausula sanare potest, omni illius vi atque efficacia in *mutando* posita. Prout contra practicorum spissam fatis nubem docuit III. HENRICVS CHRISTIANVS SENCKENBERG, in *Diss. de Clausula codicillaris inefficacia*, Gœttingæ, anno 1738. edita, cujus tamen tradita non omnia facio mea.

## VI.

## De revocatione Testamenti reciproci.

JURE nostro CIVILI WVRTEMBERGICO, Parte III. Tit. VIII, de mutuis  
testa-

testamentis, §. als uns auch angelangt, fol. 350. & 351. sancitur, ne alteruter conjugum, qui mutuam & reciprocam, vel forsan *correspondivum* plane testamentum condiderunt, hancce ultimam voluntatem suam, qua se invicem heredes instituerunt, alias quidem, sicut communi jure (vide tamen IOANNIS ALBERTI SPIESII *diff. de revocatione testamentorum, imprimis reciprocorum*) ad extremum usque halitum libere revocabilem, vel sine justa causa, in testamento exprimenda, atque ab herede scripto probanda, vel hac deficiente, sine alterius præscitu, *certioratione*, Vorwissen, non vero *consensu*, recte distinguente BESOLDO, *ibidem*, §. LIX. p. 123. in ejus præjudicium atque detrimentum revocare vel immutare valeat. Rationem hujus legis, verbis B. LAVTERBACHII, in *Disp. III. differ. XVI.* p. 123. dabo, ne scilicet alterius conjugis fides decipiatur, qui melius de testante conjugè præsumserat, arg. L. LXXII. §. ult. de Legat. II. Cuius satis inhumanum esset, affectionem illam reciprocam, qua mutuam testamentum produxit, decipi, & voluntatem propensam unius circumveniri, arg. L. XXXIX. pr. de Legatis III. L. XCII. versu, neque enim debet, de Condit. & Demonstrat. F. F. PLEBST ad F. P. Würtemb. *disp. III. num. 80.* Ideoque sapientissime hic frenum injectum est malitia conjugum, qui ad testamenta mutua blandis verbis, alteram partem dolose allicientes, postquam id obtinuerint, suam clam iterum revocarunt voluntatem, nihilque præter legitimam alteri reliquerunt; pœna insuper eis dictata, si id fecerint, in dicto §. als uns auch, in fine. Quodsi vero jam nunc ratio legis anima ejus, præcipuumque interpretationis fundamentum est, multique hodie, generoso quodam præjudiciorum contemptu, a communi illa antiquiorum sententia, jura statutaria atque particularia, ubi a jure communi abeunt, *strictissime*, & sic quidem interpretanda esse, ut quam minime ab illo recedant, jure meritoque discesserint, eadem hæc legis ratio pœnalis, conservationem testamenti alicujus invalidi, veluti per procuratorem judicio oblatis, ubi alterum validum fuit, ex mente SERENISSIMI LEGISLATORIS inferre videtur. Quæ generatim hæc fuit, ut omnes inductiones, fraudes, artes technæque e testamentis, præsertim *reciprocis*, proscribantur. Hunc vero finem non consequitur LEGISLATOR, restricta  
lice

licet revocandi libertate, nisi ex eadem ratione fatearis, uno illorum testamentorum, quo conjuges se invicem heredes scripserunt, valido, alterum quoque invalidum licet vitioque laborans velut in *pœnam*, vel *securitatem* certe testantium valere debere. Hoc enim non concesso, uxoribus via & ratio semper patebit, maritorum spem eludendi, eorundemque hereditatem contra captandi. Non enim revocatione opus habent, sed condant modo testamentum *invalidum*, in quacunque vel minima solemnitate deficiens. Mittant v. gr. ipsos maritos suos veluti procuratores, harum subtilitatum minus gnaros, ut iudicio ultimam uxorum offerant voluntatem. Tunc marito defuncto, illa heres erit ex testamento valido. Vice autem versa, ipsa prius mortua, superstes maritus ex testamento uxoris suæ, quippe invalido, heres esse non poterit. Agnosces sane insignem uxoris *fraudem*. Concedes, ipsam *naturalem æquitatem* summopere pro marito pugnare. Imo non æquitatem modo, sed tam juris communis, alios decipientibus nullatenus faventis, *L. II. §. 3. D. & L. V. C. ad Scutum Vellej.* nec ut quisquam, qui alterum hereditate sua defraudare intendit suæ calliditatis fructum consequatur concedentis, *L. penult. C. de legatis*, analogiam quam vero etiam ipsam **LEGISLATORIS WVRTEMB.** voluntatem atque intentionem manifestam. Quæ aliter obtineri non poterit, nisi hoc quoque uxoris testamentum invalidum, spretis, quæ in illo forsitan deficiunt, solemnitatibus, tamen pronuncies validum. Id, quod non solum **PRINCEPS** poterit, sed ipse quoque **JVDEX**, cui manifesta principis intentio sacrosancta atque in pronunciando optima regula. Nihil enim juvaret maritum, uti plerumque tamen decidunt: si ejus quoque testamentum pronunciare velles invalidum, atque si non nullum, itidem tamen revocatum habere, *re* scilicet non amplius *integra*, sed uxore jam præmortua, vitioque testamenti nunc demum adparente. Sic enim neque fraus puniretur, neque læso succurreretur. Neque magis est, invalidum testamentum, reddere validum, quam validum subvertere, & invalidum pronunciare. Imo cum *favor* testamentorum magnus sit, majusque adhuc *fraudis odium*, prius illud longe facilius crederem. Accedit, nullum

D

etiam



etiam hoc casu locum invenire posse poenas *in fine hujus s. dictatas*. Quæ cum ita sint, eo usque progredior audaciæ, ut exercitii gratia defendam, tunc quoque tale testamentum sustinendum fore, cum nulla fraudis adsit suspicio. *Partim* ut hæc eo certius excludatur, *partim* vero etiam, quia in illo quoque revocationis casu nullam fraudis suspicionem Princeps requisivit, sed revocationem altero incio indistincte prohibuit, sive testamentum ab initio bona fide, sive fraude & spe revocationis conditum fuerit. Nihil addo, nisi quod plura, pro ejusdem testamenti reciproci validitate, argumenta facile subministret doctrina *de testamentis correptivis*, a B. HARP- PRECHTO singulari *Diff. in Vol. Diff. I. num. XXXIX*, solide exposita.

## VII.

Testamenta, sine *consule & die*, valent.

In omni *materia testamentaria* nihil adeo mirari soleo, quam ROMANOS, a testatoribus, *temporis*, anni scilicet, sive *consulum*, quos annum *aperire* atque *nominare* dicebant, loca huc facientia exhibente SAM. PITISCO, in *Lex. antiq. Rom. voc. annus & consul*, Tomo I. fol. 107. 552. & 555. dieique annotationem haud exegisse. ROMANOS, inquam, subtilissimos alias tot *solemnitatum* testamentariorum auctores. Quarum *subtilitas* L. XXXI. C. de testamentis, *subtilissimaque causa*, L. XXVIII. C. eod. nec non *diligens observantia*, L. I. pr. de testamento militis, id effecit, ut plerumque scribendis testamentis *juris consultos* adhibuerint. Id quod abunde patet e C. SVE- TONII TRANQVILLI vita NERONIS, Cap. XXII. ubi; *deinde ut ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset Studiosis juris* (peritis, consultis, vid. A. GELLIVS, Libro XII. cap. 13. L. I. de officio assessorum, L. IX. de pænis, & L. IV. de extraord. cognit.) *qui scripissent vel dictassent ea*. Inde vero L. CRASSVS, Q. SCÆVOLAM ludens, apud M. T. CICERONEM, in dialogo de Oratore II. c. 6. *nam si nullum*, inquit, *testamentum*

mentum rite factum erit, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnia testamenta tu scribes unus. Solus forsan LV-CIVS ille TITIVS, testamentum suum sine ullo juris perito scripsit, sui potius animi rationem, quam nimiam & miseram illam solemnita- tum diligentiam secutus, apud Q. CERVIDIVM SCÆVOLAM, in libro responforum III. cujus fragmentum bene longum est L. LXXXVIII. sive penult. (§. fin. 17.) de Legatis & fideic. II. Cujus exemplum B. Dr. M. LV THERVS secutus videtur SAM. STRY- CKIO, in append. tr. de Cautelis testamentorum, num. XIII. pag. 1320. ROMANOS, inquam, qui omnem moverunt lapidem, ut sua testa- mento constet sanctitas, utque omnis inde arceatur fraus, dolus malus, (non vero etiam ICTVS, ut apud GRVTERVM, pag. 562. falsitasque, LEGE CORNELIA de falsis, A. V. C. DCLXXIII. a L. CORNELIO SVLLA Dictatore, vid. §. 12. L. II. de O. F. lata, ideo quoque dicta testamentaria, a M. TVLLIO CICERONE, libro in C. Verrem. I cap. 42 ab AEMILIO MACRO, in L. I. de publicis judiis, ab H. MODESTINO in L. XXX. de L. Cornelia de falsis, a TRIBONIANO in §. VII. Inst. de publ. judiciis atque imprimis a J. PAVLLO, in Rec. sent. L. V. Tit. XXV §. 1. apud SCHVLTING. pag. 51. Conf. C. van BYNCKERSHOEK in Libro III. obs. F. R. cap. 18. nec non ill. JO. JACOBI MASCOVII diss. ad Scrum Libonianum & edictum D. CLAVDII, Lipsie, anno 1731. edita. ROMANOS in- quam, quibus tamen ipsis solemne fuerat, consulem & diem testa- mentis adscribere. Id quod abunde patet, tum ex LL. nostris, L. II. §. 6. D. & L. III. C. testamenta quemadmodum aper. insp. & descri- bantur, quam ex illo C. SVETONI TRANQVILLI loco, qui in OCTAVIO, cap. CI. extat; ubi: testamentum L. PLANCO, C. SILIO, COSS. III. nonas aprilis ante annum & quatuor menses, factum ab eo. vid. omnino quam de hoc testamento scripsit Diss. ZACHARIAS HVBERVS in Diss. Tomo I. pag. 50. Hos inquam ROMANOS, sapien- tissimos providentissimosque hominum Legislatores, testatoribus temporis conditi testamenti annotationem haud injunxisse, vel ideo quoque vehementer miror, quia eadem variis fraudibus evitandis detegendisque aptissima videtur. Sic INNOCENTIUS III. P. R. in rescripto ad Archiepiscopum Mediolanensem, de anno MCCVIII.

*diplomati contra hunc prolato, primo statim loco, objecit, quod ibi maxime appareat consumtum, (videlicet in annotatione indictionis) ubi potuisset falsitas facilius deprehendi, Cap. VI. X. de fide instrumentorum, quia eandem alibi quoque, veluti in rescriptis, L. IV. C. de divers. rescriptis, in constitutionibus Principum generatim, vid. BRISSONIVS, de form. P. R. Lib. III. pag. 327. in diversis contractuum tabulis, ibidem L. VI. pag. 512. in rationibus argentariorum, L. IV. de edendo, in accusationibus & inscriptionibus L. III. D. & XVI. C. de accusat. & inscript. nec non in conficiendis actis judicialibus, Nov. XLVII. Cap. 1. adeo necessariam existimarunt, prætereaque statuerunt, ultimam hominis voluntatem, ad extremum usque halicum ambulatoriam, revocabilem, mutabilemque esse. L. IV. de adimend. & transf. legatis, L. XV. C. de pactis, & L. XXII. de Legatis, III. nec non posterius testamentum rumpere prius. §. II. Instit. quibus modis test. infirm. L. II. L. II. L. XVI. de injusto, rumpito, irrito facto testamento Quis vero tempore non adjecto, quodnam prius sit, posteriusve, semper cognoscet? Sed videntur sibi ROMANI multum potius ab ipsa hac temporis annotatione, in testamentis metuisse. Ita enim DOMITIVS VLPIANVS in L. II. §. 6. Testamenta quemadmodum aperiantur; diem autem & consulem tabularum non paritur prætor describi vel inspicere, idcirco, ne quid falsi fiat, namque etiam inspectio materiam falso fabricando instruere potest. Id quod Imp. DIOCLETIANVS atque MAXIMIANVS AA. & CC. in speciali casu aperti testamenti repetierunt, in L. III. C. eod. ubi, præter diem & consulem rector provincie facultatem inspiciendi describendique fieri jubebit. Omnibus vero hoc commune esse editionibus, sine die & consule ante litis contestationem ideo faciendis, ne quid excogitetur a die & consule & prolato die fiat, solasque argentariorum rationes, de quibus omnino conferri meretur JO. GOTTFRIDI SIBERI Diff. de argentariis II. Lipsie anno 1739. edita. §. X. sqq. exceptas esse idem nos docet VLPIANVS, in L. §. 2. & L. §. V. pr. de edendo. Non enim e testamento aperto recitabat prætor nisi quod audientium scire interfuit. Sic propter metum insidiarum tabulas pupillares non aperuit, lino obstructas, §. III. Inst. de pupill. substitut. L. III. C. quemadmodum testam. aper.*

aper. & L. ult. ad SCrum Trebell. Ad minimum eas non sine pravia  
causſæ cognitione aperiebat, ſi teſtator aperturam diſerte haud pro-  
hibuerat. L. VIII. *teſtamenta quemadmodum aperiantur*. Conf. BRIS-  
SONIVM, in *alleg. libro VII pag. 591*. Teſtamenti vero, conſu-  
lis dieique cognitione non aliter fraus fieri poterat, quam aliud  
plane atque poſterius, quo prius *rumpatur*, effingendo. Vid. CON-  
STANTINVS HARMENOPOLVS, in *promptuario Juris Civ. Lib.*  
*I. Tit. IV. & JACOBVS CVIACIVS, Lib. III. obſ. 7.* quod tamen de-  
functo jam teſtatore, prius namque non aperiebantur tabulæ, L. XLIV.  
§. 1. *de bonis libertorum. L. III. §. 20 de SCro Silan. L. I. §. 5. ad L. Corn. de*  
*falsis, L. XXXVIII. §. 7. de poenis L. XLI. ad L. Aquiliam, L. I. §. 38.*  
*depoſiti, & de facto AVGVSTI, vivi ANTONII teſtamentum ape-*  
*rientis, confer SVETON. in cap. XVII. & B. IO. W. HOFFMANN,*  
*in historia triumviratus, anno 1733. edita. §. XV.* ſi non *impoſſibile*,  
difficillimum tamen fuerat. Cur vero hoc metuentes, illam non  
prohibuerunt Romani? quod certe nullibi legitur. Arbitrio teſta-  
toris eam penitus reliquerunt. Ita, ut *moris & conſuetudinis magis*,  
quam *juris* legiſſe fuerit. Nulla ejus mentis fit in L. XXI. C. *de*  
*teſtamentis*, in qua tamen omnes aliæ teſtamenti ſcripti ſolemnitates  
recenſentur ab Imp. THEODOSIO & VALENTINIANO AA.  
nihilque de *conſule* ſcribitur, niſi quod teſtator & teſtes uno eodem-  
que die atque tempore ſubſcribere & ſubſignare debeant. Id quod  
neceſſitatem adjectionis *diei* nondum operatur. Unde quoque Ju-  
reconſulti, quos ſine legibus & præter leges ſolemnitates teſtamen-  
tarias multiplicare haud decet, eandem, ne in *ſolemni* quidem teſ-  
tamento *ſcripto* neceſſariam perhibent. Omnium loco evolvi meretur  
CASPAR MANZIVS, ICTVS olim *Ingolſtadienſis*, hodieque celeberrimus,  
in *tr. de teſtamento valido vel invalido. Tit. III. qu. 4. fol. 94.*  
Adde tamen, ut de noviori quoque praxi ſecurus ſis, SAM. STRY-  
KIVM, in *cautelis teſt. Cap. II. §. 14. p. 29. & 30.* nec non magnum  
illum WOLFG. AD. LAVTERBACHIVM noſtratem in *conſ.*  
*CXVIII. n. 11. in Vol. Conſil. Illuſtris FACVLT IVRIDICÆ TVBING. II.*  
*fol. 628.* Et quidem ſi fragmentis PITHOEANIS fides habenda,  
prorſus ad ſententiam veterum, ſpecialim HERENNII MODESTI-

NI, qui eandem hanc temporis adnotationem, si omiſſa fuerit, haud nocere reſpondiſſe videtur. Ita vero HLE, in libro regularum III. ſive potius IX. quo ipſum de *teſtamenti* egiſſe, aliæ complures docent leges, v. gr. *L. XXVIII. qui teſt. facere poſſunt*, *L. XXV. de cond. inſtit.* *L. XXXII. de teſt. militis.* *L. XXXI. de legatis II.* tit. de bonis libertorum & de teſtamenti; *Cum in teſtamento dies & conſules adjecti non ſunt, non nocet, quo minus valeat teſtamentum.* Quod unicum MODESTINI fragmentum nobis reſtituit, atque *Mofaicarum & Romanarum legum collationi*, quæ LICINIO RVFFINO, cui cum PAVLO literarum commercium fuit, *L. IV quibus ad lib. procl. non licet*, atque adeo ſeculi III. Jcto, perperam tribuitur, *Pariſiis, anno 1672.* editæ, atque ab ANT. SCHVLTING, *Juriſprudentia ſux antejuſtiniæ*, quam Cel. GEORGIUS HENRICVS AYRER, *Lipſiæ, anno 1734.* 4. iterum edidit, inſertæ, pag 80. ſubjunxit PETRVS PITHOEVS, Jctus Gallicus, longe cel. IO quidem CHRYSOSTOMVS, *Antiochenus*, qui potiſſimum circa annum CCLXXXIII. inſigni, qua pollebat, *ſacundia*, nominis ſui cauſa, claruit, quique prope infinita ſcripſit, in *homil. de Oſia II* contrarium teſtatur, omnes ſcilicet teſtamentorum & contractuum tabulas, niſi *tempus* habeant præſcriptum, *omni ſua vi deſtitui*, ſed reſuravit eum IAC CVIACIVS ad *L. XX. §. 8 qui teſt.* Plane vero hic non obſtant verſus illi quos e LIBANIO, CHRYSOSTOMI præceptore, produxit IAC. GOTHOFREDVS ad *L. VI. od. Theodoſ. de teſtam. & codicillis & L. IX. ibid. de inſirm. his quæ ſub tyrannis*, rel. iis nimum confidens. Neque aliam huc noſſem *analogiam*, niſi eam, quam ex ſpeciali illa, pignoris, epiſtola, neque ſignata, neque *conſule & die* inſignita, conſtituti caſu, in *L. XXXIV. §. 1. de pignoribus*, eliciunt, *privata inſtrumenta temporis annotatione* opus non habere. Aliter longe antiquiſſimos *maiores* noſtros ſenſiſſe, e legibus ipſorum docuit, B. IO. GOTTLIEB HEINECCIUS, in *Elem. Juris Germ. Libro III. Tit. V. §. 203. ſqq. Tomo II. pag. 550.* Quid vero hoc modo *duobus* ſimul extantibus, *diverſis*, nec tamen *temporis* annotatione *diſtinctis* fiet teſtamenti? *Utilis* hoc caſu omnino foret illa temporis annotatio. Quodſi enim utrumque conſulem & diem haberet

haberet expressum, quodnam prius posteriusve sit, quodque adeo valere debeat, certo constare possit. Alias enim neutrum valebit, & res ad causam intestati redibit, nemini enim pagano cum duobus testamentis decedere licet, *L. XIX. de testamento militis*, vide tamen *L. I. §. 6. de bonorum possess. secundum tabulas*, atque BERNHARDI LVDOVICI MOLLENBECH *Disp. de duobus testamentis simul validis*, Giesse, 1711. editam. *Necessaria* quoque isto casu erit temporis annotatio, *probationis* scilicet, non vero *solemnitatis* causa. Unde temporis probatio in ipso haud contenta testamento *abiunde* quoque suppleri, atque *extrinsecus* accedere poterit. Nihil hic excipio, nisi *testamentum* illud *parentum* inter liberos, minus solemnne & privilegiatum. In hoc enim ex *novella Const. sacratissimi Imp. IVSTINIANI, CVII. Cap. I.* unde desumpta *authenica*, quod sine *C. de testamentis*, ante omnia necesse est, ut subscriptione sua *tempus* conditi testamenti declaret, pater inter filios dispositurus. Id quod tam de *anno* quam *die* hodie intelligunt, propter majorem testamentorum *certitudinem*. SAM. STRYK, *loco cit. cap. X. §. 14. p. 406. Conf. Jus civile WVRTEMBERGICVM Parte III. tit. V. §. Da aber die Etern*, fol. 343. & *§. ult. fol. 346* ubi idem ad omnes omnino *parentum* inter liberos *dispositiones* atque *divisiones* extensum fuit. Hæc vero ad exceptionem pertinent, regulam in casibus haud exceptis firmantem potius, quam subruentem. Id vero *paradoxum* videtur quod in hoc minus solemnne & privilegiato testamento *annus* & *dies* per modum *solemnitatis* requiratur, cum tamen in *solemnibus* illis non privilegiatis haud requiratur. *Rationem diversitatis* non aliam invenio, quam quod hæc ipsa temporis annotatio veluti in locum earum, quæ parentibus remissæ sunt *solemnitatum*, vel ideo *furrogata* fuerit, quod parentes suas inter liberos *dispositiones* sæpius mutare soleant, quam quidem *testamenta* solemnne, & quod ex hac ipsa temporis adjectione, *seria* parentum voluntas certius securiusque cognoscatur. IO HARPPRECHT ad §. III. *Inst. de test. ord.* Cæterum id quoque annotasse juvabit, quod *jure nostro civili WVRTEMBERGICO, Parte III tit. III. rubro die andere Form. §. wann aber*, fol. 333. *tempus praelectionis*, quoties illa necessaria, ab ipso *praelegente*

gente diferte sit adjiciendum. Testamenta vero *judicialia* quod attinet, ea *hoc* quoque *jure* temporis expressione vel ideo opus non habent, quia tempus oblationis, actis ab actuario inferendum, *Nov. XLVII. cap. I.* atque ejus insertionis omisio testamento haud nocet, arg. §. Was also. fol. 338.

## VIII.

Quæ testamenta jure civili *Wurtembergico* debeant esse *holographa*?

Quem ad modum universum *jus*, vel *scriptum* est, sive promulgatum, *νόμος ἔγγραφον*, vel non *scriptum*, sive consuetudine introductum, *νόμος ἀγγραφον*, §. III. *Inst. de jure N. G. & civili, L. V. §. I. L. VII. de Justitia & jure, L. XXXII. §. I. de Legibus*; imo quem ad modum, subtiliter observante B HEINECCIO, in *diff. de origine testamentificationis*, §. XIV. in *sylloge opusc. pag. 983.* antiqua illa Romanorum testamenta in comitiis calatis condita, *νόμοι ἔγγραφοι*, in procinctu autem facta, *νόμοι ἀγγραφοι* erant, hoc est, vel *legis*, vel *moris* instar valebant; vid. PLVTARCHVS in *Coriolano*, p. 198. ita quoque TESTAMENTORVM alia sunt *scripta*, alia non *scripta*, sive *nuncupativa*, certis quibusdam solemnitatibus inter se differentia, §. XIV. *de test. ord. L. XXI. pr. qui test. fac. possunt, L. XXI. §. 2. & L. XXVI. C. de test.* Sicut vero non omne *jus*, quod in *scripturam* redactum, ideo statim *scriptum* est, ita quoque non omne testamentum *literis* mandatum, *scripti* jure censendum erit. Uti porro non omne *jus*, quod *literis* haud exaratum, nisi accesserit promulgatio, *scriptum* est, ita quoque non omne testamentum, in quo *nuncupatio* occurrit, *nuncupativum* erit. D. enim VLPIANVS in *tit. fragm. XX. §. 9.* *nuncupationis & tabularum* simul meminit. Imo sine ulla *nuncupatione*, nullum concipi poterit *testamentum*, etiam *scriptum*. Quæ vero non confundenda, cum illa *nuncupatione*, quæ *testamentum* ipsum efficit *nuncupativum*. Quando scilicet testator ultimam voluntatem suam testibus presentibus ita pronunciat, (nisi

(nisi sit implicitum) ut licet postea memoriae, & probationis non vero solemnitatis causa, in scripturam redigatur, omnem tamen vim suam ab enunciatione sive *nuncupatione* testatoris habeat. Vid. *all. Leges*, & *L. LVIII. pr. de heredibus instituendis*, & confer B. BARDILLI in *diff. de test. Nuncupativo*. Nuncupativa scriptis sunt *antiquiora*. Talia enim ea omnia fuisse, quæ in comitiis calatis & in procinctu condebantur, cum CHR. THOMASIO, in *diff. de primis initiis success. test. apud Rom. §. XIII. contra ALB. DIET. TREKELL, de origine & progr. test. fact. cap. II. §. 18. pag. 45.* nimis subtiliter hic distinguentem, etiamnum statuo. Ea demum, quæ post Leges XII. Tab. introducebantur *per as & libram*, vel *scripta* fuerunt vel *nuncupativa*. Quod idem hic *cap. II §. 35.* contra THEOPHYLVM recte ostendit. *Scriptis* vero testamentis semel introductis, *nuncupativa* admodum *rara* fiebant, illis contra multo frequentius occurrentibus. Satis id inde adparet, quod tam apud auctores & historicos, quam nostros etiam ieros rarissima sit testamenti nuncupativi mentio. Modo scilicet non omne statim *nuncupativum* credas, in quo heres non occultabatur. Sic enim ne illa quidem nuncupativa fuerunt, quæ apud M. T. CICERONEM in *Orat. pro T. Annio Milone, cap. XVIII.* & C. SVETONIVM in *vita Caligula cap. XXXVIII.* occurrunt. Deinde sibi admodum metuebant *Romani* a testamentis nuncupativis atque herede palam nuncupato, partim propter odium, quod apud alios incurrebant, partim vero etiam propter insidias, quas struere solebant heredipetæ. Hinc non nisi urgente demum necessitate, heredem suum palam nuncupabant, si forsan repentina morbi vis spatium non relinqueret, tabulas conficiendi. Quo casu vel tribus, v. c. LUCIVS *heres esto*, vel duobus saltem, LVCIVS *heres*, imo unico quoque verbo, LVCIVS, per nuncupationem testari poterant, docente D. VLPIANO in *L. I. §. 1. & 5. de heredibus instituendis*. Ad quam conferri merentur B. CONR. van BYNCKERSHOECK in *libro Observ. V. cap. I.* & B. HEINECCIUS *de testamenti factione juris Germ. §. XXXI. in sylloge opusc. pag. 964.* Sic, quod C. SVETONIVS TRANQVILLVS in ejus vita scribit, *decessit HORATIVS poeta, V. Kal. Dec. C. MARIO CENSORINO, C. ANNIO GALLO COSS.*

E

post



post nonum & quingentesimum annum, herede AVGVSTO palam nuncupato, quam urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas tabulas. Quod testamenti nuncupativi exemplum, sicut omni exceptione majus, ita quoque tam antiquissimum, quam unicum forte, quod occurrit. Sufficiens autem ratio haud fuit CHR. THOMASIO, cur in *diff. de sensu legis testam. decemvir. §. VI. & XXVIII.* docuerit istius demum HORATII & AVGVSTI exemplo & favore introductam fuisse heredem palam nuncupandi facultatem. Exemplo originis codicillorum & fideicommissorum, in *pr. & §. 1. Inst. tit. de codic. & fideic. de her.* Sic quoque pariter falsum esse, quod praetor non nisi secundum tabulas, omni nuncupatione exclusa, bonorum possessionem dederit, aliud enim docent *L. II. C. de bon. poss. sec. tab. L. VIII. pr. C. de Codicillis, L. VIII. §. 4. de bon. poss. sec. tab.* Illum vero errorem, quem EDM. MERILLIVS olim, occasione *L. LXXVII. §. 24. de legatis, II.* erraverat, feminas non potuisse in scriptis testari, satis superque profligarunt B. HEINECCIUS ad *L. Jul. Pap. Popp. LII. cap. 9. pag. 240. in Synt. Antiq. Rom. L. II. tit. 10. §. 19 & in diff. de test. fact. F. Germ. §. XVIII. pag. 945.* atque ill. BOEHMERI in *diff. de test. mulierum, Hale anno 1741. edita cap. I. §. IX.* Quae vero ROMANI scripserunt testamenta, ea tantum abest, ut omnia ab ipsis auctoribus, sive testatoribus, tota conscripta, hoc est, secundum ISIDORVM, *Hispalensem Episcopum, in originum, sive etimologiarum, Libro V. cap. 24.* apud DIONYSIVM GODOFREDVM, *in corpore auctorum lingua latina, pag. 929.* HOLOGRAPHIA fuerint, ut potius aliena plerumque manu, vel filii familias, vel filii emancipati, vel liberti, vel servi, hujusque iteram vel proprii, vel alieni, vel extranei cujuscunqae, velut notarii, in scribendis testamentis usi fuerint Romani, quibus tamen ultima voluntate, ejusque veritate & sanctitate, prius nihil fuit, nihilque antiquius. Evolve *L. I. §. 8. L. V. L. X. V. L. XV. de lege Cornelia de falsis & de Scro Liboniano L. XXVII. & XXVIII. qui testamenta facere possunt, & L. XL. de testam. milit.* Saepius quoque ea aliis ad calamum dictarunt, (atque nuncuparunt) uti patet ex *L. IX. §. 1. 2. de hereditibus instit. L. CII. §. 1. de Legatis & fideic. III. XL. L. de testam. militis.* AVGVSTVS partim suam, partim libertorum POLYBII & HILARIONIS

RIONIS manum adhibuit, teste C. SVETONIO TRANQUIL-  
 LO in *cap. CII. n. 1.* TIBERIVS unum testamenti sui exemplum pro-  
 pria, alterum vero *liberti* manu scripsit. Teste Eodem *cap. LXXVII.*  
*n. 1.* Inde vero nata subscriptionis *testatorum* necessitas, illis initio  
 propria testamentis, quæ *aliena* manu exarata fuerunt, arg. *L. XL.*  
*§. 3. de statu liberis & L. I. §. 8. L. XV. §. 2. de L. Corn. de falsis.*  
 Eos autem, qui testamenta scribebant *testamentarios* subinde voca-  
 runt *ICTI.* *L. XV. §. 6. L. XXII. §. 10. de L. Corn. de falsis. L. IX. pr.*  
*& §. 3. de hered. instit. L. I. pr. si quis aliquem testari prohibuerit, L. III. §.*  
*ult. ad SCrum Trebell.* confer BRISSONIVM, de *Verb. signif.* & CAR-  
 DU FRESNE in *gloss.* voce *testamentarius.* Generatim vero, ut testa-  
 tor semper subscribat, sive testamentum propria, sive aliena manu  
 scriptum esset, primus præcepit THEODOSIVS *junior* in *Nov. con-*  
*stit. IX. de testamentis Tit. I.* unde *L. XXI. C. de testamentis depromta.*  
 Id quod IVSTINIANVS iterum remisit in testamento *holographo,*  
*L. XXVIII. §. 1. C. de testam.* Unde hodie, *civili* atque *communi* jure  
 ROMANO, etiam in *testamento implicito,* parum interest, sive testamen-  
 tum sit *holographum,* sive *aliena manu* conscriptum, modo hoc casu  
 ab ipso testatore vel octavo teste (*L. XXI. pr. C. de test.*) subscri-  
 ptum. Quorsum plura dabunt GEORGII IOSEPHI BEHRII atque  
 IEREMIÆ EBERHARDI LYNCKII *diff. Argentoratenses, de testa-*  
*mento holographo, anno 1729. & 1741. editæ,* nec non, quæ de testa-  
 mento *reciproco holographo Fena* anno 1702. prodiit, CHR. WILD-  
 VOGELII *diff. & quam Altorfii* jam anno 1682. de *manu propria* scripsit  
 HENR. LYNCK. Quodsi vero quis, in *DVCATV* nostro testatu-  
 rus, ultimam voluntatem suam, in *scripturam* prius redactam, vel,  
 ad normam *seunda juris civilis WVRTEMBERGICI testandi forma,* judi-  
 cio ipse offert, liberam suam, in porrecta *judici scriptura* contineri,  
 voluntatem diserte profitetur, eandemque actis *judicialibus* inferi,  
 suoque demum tempore aperiri, nec non executioni mandari, eni-  
 xe rogat; vel, secundum *tertiam testamentorum WVRTEMBERGICO-*  
*RVM formulam,* idem, domi, coram quatuor senatoribus & actua-  
 rio, hunc in finem rogatis, facit; vel denique, *quinto modo testa-*  
 turus, ultimam suam voluntatem in hujus vel illius, diserte nomi-  
 nato,

nato, urbis pagive iudicio *depositam* reperiri, alii cuidam iudicio, quatuorve senatoribus & actuario, vel quinque etiam testibus, cum notario, juratove scriba, indicat, utque hoc memoriae causa, vel protocollo judiciali inseratur, vel in instrumentum redigatur, petit: QUÆSTIO oriri potest & solet, an *scriptura* illa, ad quam in *tribus* hisce *juris WVRTEMBERGICI* formis, secunda, tertia & quinta, testator se se refert, in illis quidem præsens, in hac vero sola, absens, præcise & sub pœna nullitatis HOLOGRAPHÆ esse debeat? Quam, subinde hæud parum *difficilem*, paucis nunc dilucidare constitui. Licet vero in quæstione ipsa, tres istas formas conjunxerim, distincte nihilominus nunc respondebo, eandemque quoad priores, *secundam* & *tertiam*, penitus *negandam*, quoad postremam vero, *quintam* puto sine omni dubio *affirmandam* esse luculenter, quoad ejus fieri poterit, commonstrabo.

Quod igitur PRIMO, ad *secundam* illam formam attinet, (prima namque est testamentum iudiciale nuncupativum) in ea ipsa SERENISSIMVS LEGISLATOR WVRTEMBERGICVS necessitatem *propria* testatoris *manus*, sequentibus, in §. wann aber, fol. 332. occurrentibus verbis remisit. Wann aber dem testirenden seinen fürhabenden letzten Willen der Obrigkeit, oder sonst vielen Persohnen zu eröffnen, bedenklich und ungelegen wäre, mag er sein Testament und letzten Willen ic. selbs schreiben und stellen; Oder da er selbs nicht schreiben köndte, alsdann einen andern schreiben, und folgendes solchen seinen von einem andern schriftlich verfaßten letzten Willen ic. für ein gefessen Gericht bringen, und darbey anzeigen, wie daß er sein Testament oder letzten Willen in diesem verschloßnen, durch sich selbst oder einen andern, geschriebenen und besiegelten Brief verfaßt hab. Facile inde patet, *regulariter* quidem *scripturam* illam, ad quam sese testator refert, ab eodem licet ipso porrectam exhibitamque in hac quoque *forma secunda*, HOLOGRAPHAM esse debere, nullamque aliam ejus regulæ, quam, quod mireris, plane non admittere videtur CHRISTOPHORVS BESOLDVS, *ad Partem Juris Prov. W. III. tit. III. th. 19. pag. 113.* dari exceptionem, nisi quam verba sistunt, oder da er selbs nicht schreiben

schreiben können, sive quod ἀναλφαβήτως, ἀγράμματος, sive illiteratus sit, L. VI. §. 19. de Excus. Tutorum, sive quod morbo, chira-gra, aliave causa externa, jam nunc scribere saltem impediatur, arg. L. XX. X. C. de test. L. fin. §. 2. C. de jure deliberandi. Sicut, argu-mento L. X. & seq. de Legibus atque L. XXXII. ad L. Aquil. decidi- dit, insimulque, quod miror, ad quintam, longe diversam, for- mam provocat, sui ævi PAPINIANVS, B. Dn. Dr. FERD. CHR. HARPPRECHT, in conclusi. de testamento judiciali III. Vol. Diss. I. pag. 1348. n. 15. Vtrum vero eandem hanc exceptionem, da er- selbs nicht schreiben können, ad eas usque personas, quæ quidem scribere possunt, sed tamen testamentum aliquod vel concipere, vel describere nequeunt, extendere liceat, an contra, qui pingere mag- is, quam scribere potuerunt, hincque etiam nomen suum subscri- perunt, testamenta nulla sint, invalidaque, problema est, cujus so- lutio in praxi, ubi hic casus sapissime occurrit, longe utilissima foret. Generatim quidem locutus est LEGISLATOR. Sed argumen- tum istud e laudatis legibus desumptum, admodum generale & nimis remotum, in materia solemnitatum testamentariarum, quæ strictam ubique deponunt interpretationem, ego quidem ultra, quam a B. HARPPRECHTO factum, extendere nollem. Eadem quidem subesse videtur ratio. Sed cogites velim, in scribendo testamento nulla styli affectatione opus esse, solamque perspicuitatem rem ab- solvere. Qui illud concipere nescit, ab alio conceptum describat saltem. Qui ne hoc quidem poterit, aliam eligat formam, suum- que heredem palam nuncupet. Idcirco enim plures descriptæ sunt formæ. Cum vero hoc subinde nimis periculofum molestumque sit, & Imp. IVSTINIANVS in Nov. LXXIII. cap. 8. illos quoque, qui pocas sciunt literas, illiteratos dixerit, testamentum ejusmodi al- lographum, licet testator scribere potuerit, tamen valere existimo, si modo prelectio illa a tertio, qui testamentum non scripsit, testato facta, accesserit. Hanc enim LEGISLATOR, tanquam surrogatum & æquipollens testamenti holographi constituit, quo fraudes æque pro- scribuntur, atque propria manu, accedente præsertim testatoris propria manu facta subscriptione. Suo jure hic allegari merentur

SAM. STRYK in *Diss. de jure analphabetorum*, cap. I. & IV. in Vol. III. num. 15. fol. 340. atque illustris IVST. HENNING. BOEHMER in *Diss. de testamento non praelecto*, Hala, anno 1699. ventilata.

In *tertia* vero forma, nihil plane hac de re definitum est. Unde hoc non immerito e proxime antecedente *secunda* supplendum esse videtur. Valere enim ab *una* ad *alias* quoque formas consequentiam, eo minus dubito, quo saepius ipse LEGISLATOR in *posterioribus* ad *priores* provocavit. Sic in eadem hac forma *tertia*, sub finem §. §. Da aber, & Darauf, fol. 334. & 335. occurrunt formulae: Wie vorgehende Formen ausweisen, wie oben in nächst vorgezetzten zweyen Formen unterschiedlich angezeigt. Verum quidem est, allegationes hasce non intuitu *propria* vel *aliena* manus factas fuisse, interim vero ipsam tamen consequentiae validitatem generatim demonstrant. Neque illud hic obesse puto argumentum, quod, quemadmodum forma testamenti alicujus in *jure* quodam *particulari* definita, reliquae exclusae & superfluae videantur, solemnitates omnes, quae de *jure communi* alias necessariae sunt, docente B. HARPPRECHTO de *test. judiciali*, th. XVII. sq. sic quoque omnes juris nostri *Provincialis* formae, eas solemn. omnes exclusisse censei debeant, quas in illa praecise forma non expressit, licet in aliis eas praeeperit. In illa enim ipsa, de qua adhuc sermo, forma *praelectionis* quoque testamenti ab alio scripti, in *secunda* praescriptam, tacuit LEGISLATOR. Quam tamen propter fraudis facilitatem, nemo facile exclusam censebit. Vnde nimis probaret hoc argumentum.

Quam *quarto* loco ordinavit SERENISSIMVS LEGISLATOR testamenti *formam*, ea testamentum privatum, coram notario vel scriba jurato, & quinque testibus perficiendum, continet. Illius vero *scripturam* propter necessitatem publicae *praelectionis*, non praecise *holographam* esse debere, facile cuivis patet, e §. Da jemand. fol. 336. ubi: mündlich zu eröffnen, oder aber seinen letzten Willen schriftlich zu verzeichnen und verlesen zu lassen. Accedit, nullam adparere diversitatis rationem, cur testamenta *privata* magis, quam *publica*, esse debeant *holographa*. hincque *scripturam*, quae testibus in testamento privato, nuncupativo, implicito, ostenditur, non

non etiam ab alio scriptam esse posse, id quod argumento & analogia *secundæ formæ*, modo scilicet testator scribere nesciverit, ipsique scriptura illa rursus prælecta fuerit, post CHRISTOPHORVM BESOLDVM in *conf. CXXIII. num. 8.* atque B. HARPPRECHTVM, in *Disp. de testamento judiciali tb. III. & in resp. II. mantisse ad tractatus academicos* negavit Excellentissimus Dn. Dr. SCHOEPFF in *Conf. LXXVII. n. 38. in Vol. Consil. Tubing. VIII. fol. 590.*

Progredior nunc ad ultimam Juris Provincialis formam, in qua sine omni dubio & exceptione *scriptura* illa, ad quam sese testator, sive coram iudicio pleno, sive coram quatuor senatoribus & actuaris, sive coram quinque testibus & scriba jurato, ut in præcedentibus formis, secunda, tertia & quarta refert, *holographa* esse debet. Ibi enim *fol. 337.* hæc leguntur verba: *Was man in Schrifften mit ihrer eigenen Hand verfaßt, und versigelt oder unversigelt hinder der Statt oder dem Flecken (so austruckentlich mit Nahmen zu bestimmen) zu getreuen Händen gelegt, nach ihrem Tod befinden werde.* Quæ verba: *mit ihrer eigenen Hand verfaßt*, eo notabiliora, quo recentiora sunt. Primum namque in Codice JOHANN-FRIDERICIANO, anno MDCXII. edita comparuerunt, in antiquioribus illis Codicibus anno 1552. & 1591. promulgatis, nondum conspicua. Manifesto sane argumento, ea non forte fortuna, vel frustra plane hic inserta, sed data potius opera, *correctionis*, vel certe supplementi instar addita fuisse. Quod ipsum me in ea quoque opinione admodum confirmat, omnem hanc *propria manus*, sine ulla exceptione, necessitatem, ad *quintam* hancce *formam* unice pertinere, ad eandem penitus restringendam, ad reliquas vero nullatenus extendendam esse. Eadem enim facilitate *reliquis* etiam formis, hæc quoque vel similia inserere potuissent, revisores verba. Quod cum factum haud fuerit notorium inter hanc ultimam & reliquas priores numero quatuor, formas fundat *discrimen*. eo manifestius, quo magis hæc ultima, præsus singularis, alias quoque a reliquis illis formis differt, quod nempe aliquis supremum suum iudicium domi conscribere, alicubi *deponere*, hocque deinde vel iudici, vel testibus significare valeat. In illis *præsens* est scriptura, & in quibus-

dant

dam in iudicio statim deposita manet, in hisce vero *absens*. Vnde ad certitudinem & perfectionem voluntatis necessaria omnino scriptura *holographa*. Qui itaque scribere nescit, quinto hoc modo testari nequit.

Quæ cum ita sint, reapse hic, neque inter se dissentiunt, neque sibi invicem, ut omnino videri posset, contradicunt *Juris WÜRTEMBERGICI interpretes*, veluti JO. JAC. PLEBST, ad *Fus Prov. Würtemb. Part. III. disp. III. th. 39. 42.* CHR. BESOLD, *ibid. th. 20. & 24.* nec non in *Vol. V. Consil. 230. n. 18.* WOLFGANG ADAM LAVTERBACH ad *Fus Prov. Würt. Part. III. Tit. III. th. 42. & de test. jud. th. 2. & 25.* BVRCARD BARDILI, in *Disp. de testamento nuncupativo, th. XXX.* & FERD. CHR. HARPPRECHT, de *testamento judiciali th. III.* & in *alleg. Responso II num. 55. 62.* Quippe quos, vel sola *formarum* distinctio, facile in concordiam redigere potest. Vbi enim propriam testatoris manum abscisse, nulla plane concessa exceptione, requirere videntur, de sola quinta intelligendi sunt *forma*. Vbi vero eandem, generatim superfluam perhibent, ad *priores*, secundam, tertiam, & quartam, *formas*, restringendi erunt.

Cum vero plures jam pagellas mihi procedere animadvertam, quam academico huic specimini, *exercitio disputatorio* sufficientem materiam præbituro, initio destinaveram, reliquas, quas per hosce dies *meditatus* fui, OBSERVATIONES TESTAMENTARIAS, partim abjectas rursus, partim vero latius jam diductas, invitus fere omitto, quum maxime temporis angustia exclusus, ne ea quidem, quæ in medium protuli, pro dignitate pertractare, excolere atque perpolire licuerit. Quare hoc unum superest, ut DEO T. O. M. pro *suffectis viribus*, immortales agam semperque habeam gratias.

T A N T V M,

NOBI-



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

AVCTORI-RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

**N**on sine magna animi voluptate gratulor TIBI, NOBILISSIME atque DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE, ADFINIS atque AMICE CONIUNCTISSIME, egregios illos, quos ab eo inde tempore, quo in EBERHARDINA nostra LEGIBVS operam navas, tantorum JVRECONSVLTORVM, meorum olim quoque PRAECEPTORVM, vel solo hoc nomine COLENDISSIMORVM, meoque etiam, qualicunqve licet, nemini tamen fidelitate atque industria, ut nosti, cedente ductu, TIBI comparasti profectus, mihi satis cognitos probatosque, imprimis vero etiam publicum eorundem STVDIORVM TVORVM, quod nunc edis, specimen, idemque eruditum, OBSERVATIONES nempe TESTAMENTARIAS, *antiquario practicas*, ex-temporales quidem illas, atque uno fere octiduo a TE proprio Marte selectas, in chartam coniectas, preloque subjectas, ita tamen comparatas, ut praecleara quavis, de TE TVISque studiis, quibus felicem nunc imponis colophonem, sine ulla divinandi arte, in posterum augurari inde liceat. TVÆ namque sunt, quas mascule, ut scio, defendes *observationes*. Quas, si quidem temporis angustia id permisisset, facile, quod petiisti, ulterius adhuc excolere atque perpolire potuisssem. Nolui vero TVAS morari destinationes, vel pagellarum numerum praeter rem augere. Caterum non possum non laudare TVVM, nimis inter nos rarum, speciminis academici modo

F

dispu-





disputandi, atque deinceps demum in fora prodeundi institutum. Satis namque illud sese sua commendat utilitate, illis perfecta, quibus de meliori luto finxit præcordia TITAN. Morem sic geris ORDINATIONI DICASTERIALI, *novissimis*que SPLENDIDISSIMÆ VISITATIONIS *recessibus*, publicum ejusmodi specimen a Candidatis praxeos scholæque valedicturis desiderantibus, atque inde etiam fructum & proxime quidem capies, qui, ut porro etiam in TE & universam FAMILIAM-TVAM, utrinque admodum conspicuam, mihi que semper venerandam, nunquam non redundet uberrimus, est quod ex animo, eaque, qua TE complector, amicitia, opto. Quod superest, TE divino ante omnia præsidio, & bonis deinceps omnibus, non nisi argumentis de TE ipso sumtis, eo magis commendo, quo acerbius haud ita pridem, B. Dn. PARENTIS obitu, TIBI infictum fuit vulnus. Ita vero vale, res TVAS feliciter age, meque, quod unum rogitō, ut facis, amare perge.

Dabam TVBINGÆ CALEND. SEPT.

MDCCXLV.







⊗ )( ⊗

non etiam ab alio scriptam esse posse, id quod argumento & cuncta forma, modo scilicet testator scribere nesciverit, ipsi illa rursus prælecta fuerit, post CHRISTOPHORVM BE in conf. CXXIII. num. 8. atque B. HARPPRECHTVM, testamento judiciali ch. III. & in resp. II. mantissa ad tractat eos. negavit Excellentissimus Dn. Dr. SCHOEPPF in Con n. 38. in Vol. Consil. Tubing. VIII. fol. 590.

Progredior nunc ad ultimam Juris Provincialis form sine omni dubio & exceptione scriptura illa, ad quam se five coram iudicio pleno, five coram quatuor senatoribus ris, five coram quinque testibus & scriba jurato, ut in p bus formis, secunda, tertia & quarta refert, *holographa* esse enim fol 337. hæc leguntur verba: Was man in Schrifte eigenen Hand verfaßt, und versigelt oder unversigelt. Statt oder dem Flecken (so austruckentlich mit Nahm stimmen) zu getreuen Handen gelegt, nach ihrem To werde. Quæ verba: mit ihrer eigenen Hand verfaßt, eo ra, quo recentiora sunt. Primum namque in Codice FRIDERICIANO, anno MDCXII. edita comparuerunt quioribus illis Codicibus anno 1552. & 1591. promulgat conspicua. Manifesto sane argumento, ea non forte frustra plane hic inserta, sed data potius opera, correctione supplementi instar addita fuisse. Quod ipsum me in opinione admodum confirmat, omnem hanc propria manu la exceptione, necessitatem, ad *quintam* hancce formam unere, ad eandem penitus restringendam, ad reliquas ve nus extendendam esse. Eadem enim facilitate *reliquis* eti hæc quoque vel similia inserere potuissent, revisores ver eum factum haud fuerit notorium inter hanc ultimam priores numero quatuor, formas fundat *discrimen*. eo m quo magis hæc ultima, præsus singularis, alias quoque illis formis differt, quod nempe aliquis supremum suum domi conscribere, alicubi *deponere*, hocque deinde vel j testibus significare valeat. In illis *presens* est scriptura, &

